JACOBI FACCIOLATI RUDIMENTA LOGICAE

Jacopo Facciolati

Digitized by Google

JACOBI FACCIOLATI

RUDIMENTA

LOGICÆ.

EDITIO SECUNDA

RETRACTATIOR.

VENETIIS

ÆRE JO. BAPTISTÆ ALBRITII HIER. FIL.

MDCCXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA PRÆMISSA
EDITIONI PRIMÆ
AD
MARCUM FOSCARENUM
Patritium Venetum, nunc Equitem, & Legatum ad ſummum Pontificem
CLEMENTEM XII.

QUicumque opuſculum hoc tuo nomine ornatum videbit, ſtatim cogitabit, quale quantumque præſidium exiguo libello mihi comparaverim. Ego vero non tam præſidem quæſivi, quam judicem. Neque enim Familiæ gratiam & auctoritatem ſpectavi, quæ tanta eſt, quanta eſſe maxima in libera civitate poteſt; ſed ingenium ſpectavi tuum, doctrinam, eruditionem, & cetera ornamenta animi, quibus litterarum judicia rectiſſime

fiunt. Dicam paucis: MARCUM appello, non FOSCARENUM. Itaque etiamſi tanti Patris filius non eſſes, taliumque Majorum nepos, attamen noſtra hæc tibi afferrem, qui non molem ſpeciemque reputabis, ſed rerum pondus, ſi quod eſt, cognoſcere potes, ſuiſque momentis expendere. Id vel ea de cauſſa libenter facio, quod tempore, non voluntate ad hæc ſtudia delatus, vires potius experiri debeo, quam jactare. Noſti hominem proficiendi cupidum, nihilque ſibi tribuentem, niſi prius ab aliis tribuatur. Alios porro cum dico, non eos intelligo, qui ipſi ſe, Diis hominibuſque invitis, in litteraria provincia judices conſtituerunt. Horum ego judicium neque magnopere cupio, neque formido. Tu me ſi bene ſperare jubebis, nihilo plus quæram. Vale.

Ex Gymnaſio Patavino
Kal. Novembr. MDCCXXVIII.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM

De Secunda hac Rudimentorum editione.

Rudimenta Logica *iterum damus, tanta diligentia ſtudioque retractata, ut primas illas curas vix agnoſcere ac præſtare poſſimus. Nunc demum videmur nobis feciſſe aliquid colligendo, ſeligendo, explicando, ad juventutis, quæ ſe nobis in diſciplinam tradet, inſtitutionem. Siquidem, ut ait Iſocrates de regno ad Nicoclem,* οὗτός ἐστι χαριέστατος, ὃς ἂν τῶν διεσπαρμένων ἐν ταῖς τῶν ἄλλων διανοίαις ἀθροῖσαι τὰ πλεῖστα δυνηθῇ, καὶ φράσαι κάλλιστα περὶ αὐτῶν. Ille gratiſſimam rem facit, qui ex iis, quæ diſperſa ſunt in aliorum cogitatis, colligere plurima poteſt, eaque optime explicare. *Neque enim neceſſe eſt, ut qui artes ac diſciplinas mandare litteris conſtituit, ea ſcribat, quæ nemo ſcripſerit; ſed ita ſcribat, ut nemo melius ſcripſiſſe videatur. Qui primum illud aſſequi poteſt, ut nova in medium proferat, is demum auctor eſt: mihi ſatis fuit in altero conari, & vires experiri. Novi enim, ex Poetis quoque ipſis, qui nomen a faciendo invenere, non eos modo coronam meruiſſe, qui fabulas ſuas populo darent, ſed etiam qui alienas corrigerent ac perpolirent.*

Digitized by Google

Æſchylus (*inquit Quinctilianus l. x. Inſtit. c.1.*) rudis in pleriſque & incompoſitus: propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre poſterioribus Poetis Athenienſes permiſerunt; ſuntque eo modo multi coronati. *Vetuſtos auctores præſertim excuſſi; ex quorum penu juniores Dialectici, qui maxime eminent, pleraque derivarunt, & ad ſæculi ſenſum accommodata novis luminibus ornarunt. Ego modo eadem, modo alia ſumſi; interdum etiam mihi ipſi credere malui. Sed illud in primis curavi, ne copia moleſtus eſſem; idque ipſum in cauſſa fuit, ut quædam minoribus typis expreſſa in imam pagellam coniecerim; quæ legi ſane volo & perpendi, non tamen memoriæ mandari jubeo. Ex ceteris quoque nonnulla omitti poterunt, ſi magiſtro videbitur pro loci, temporis, & ingeniorum varietate. Ceterum quantulacunque ſit ea pars, quam ſibi quiſque idoneam exiſtimabit, illud vel in primis ſibi perſuadeat, firmeque teneat, libellum hunc eſſe veluti lexicon quoddam formularum, quæ in diſputando de re quavis adhiberi ſolent: proindeque oportere, non ſenſa modo, quod fit in reliquis diſciplinis, ſed verba ipſa fideliter addiſcere. Scio, id grave aliquibus videri, qui memoria ſunt infirma: ſed nos nihil ſcribimus niſi illis, qui excellere poſſunt, & volunt. Vale.*

PRO-

Digitized by Google

PROTHEORIA I.

DE LOGICA IN UNIVERSUM.

Quid eſt Logica?

℞. LOGICA *eſt ars veri & falſi diſceptatrix, & judex*, ut a Cicerone definitur in Academ. 4. cap. 28. ideſt recta ratio veritatis detegendæ, atque explicandæ.

Definitur ne ab omnibus uno modo?

℞. Alii aliter Logicam definiunt, modo finem ejus, modo officium aſſumentes; modo cogitandi, modo diſputandi rationem conſiderantes: ſed omnes eodem incidunt (1).

Nonne dicitur etiam Dialectica?

℞. Uſus obtinuit, a Græcis uſque temporibus petitus, ut Logica totam artem ſignificet, Diale-

(1) Non modo ab aliis, ſed a Cicerone ipſo alibi aliter definitur, ut in lib. 2. de Orat. c. 38. in Bruto c. 41. in Partitionibus cap. 23. in lib. 2. de Fin. c. 16. Nobis ſupra ceteras placet definitio allata. Nam & D. Auguſt. lib. 3. contra Acad. c. 13. n. 29. Logicam vocat *ſcientiam veritatis*.

Digitized by Google

ctica partem duntaxat. Attamen non deſunt, qui utrumque nomen promiſcue uſurpent (2).

Quinam eſt Logicæ finis?

℞. Duplex, proximus, & remotus. Finis proximus eſt, mentem idoneam facere ad verum inveniendum, & judicandum: remotus eſt ipſa veri inventio, & judicatio. Finis porro Logicum non facit, ſed officium. Eſt enim Logicus etiam qui verum non invenit, modo apte inquirat: quemadmodum orator eſt etiam ille, qui non perſuadet, modo apte dicat ad perſuadendum; medicus etiam qui non ſanat, modo recte medicinam faciat (3).

Quodnam eſt Logici officium?

℞. Officium Logici deſcribit Cicero de clar. Or. c. 41. ubi ait, *Dialecticam eſſe artem, quæ docet rem univerſam tribuere in partes; latentem explicare definien-*

(2) Quomodo Ariſtoteles his duobus nominibus utatur, habes ex iis, quæ ſequuntur de diviſione Logicæ. Cicero in Top. c. 2. *Dialecticam* vocat more Stoicorum eam partem, quæ in judicando verſatur. Nam quæ ad inveniendum comparata eſt, *Topice* dicitur. Et quia Stoici de inveniendo minime laborant, cum Cicero *Dialecticos* dicit, quaſi proprio nomine Stoicos intelligit. Ita in Orat. c. 32. *Et ipſe Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi, & poſtea qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt.*

(3) Quinctilianus lib. 2. cap. 17. *Tendit quidem ad victoriam qui dicit: ſed cum bene dixit, etiamſi non vincat, id quod arte continetur, effecit. Nam & gubernator vult ſalva navi in portum venire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator.* Vide Ariſtotelem lib. 2. Top. c. 3. & lib. 1. Rhet. c. 7.

Digitized by Google

niendo; obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde diſtinguere; poſtremo habere regulam, qua vera, & falſa judicentur; & qua quibus poſitis ſint, quaeve non ſint conſequentia (4).

Quaenam eſt Logicæ materia?

℞. Logica latiſſime excurrit, ejuſque materia eſt diſputatio quælibet, quatenus per eam verum exquiritur & judicatur. Ratio vero & modus, quo utitur in exquirendo & judicando, facit, ut materia, ceteroquin communis, ſit Logicæ propria (5).

Logica quomodo dividitur?

℞. Logicæ diviſio non una eſt. Nam primo dividitur in *Naturalem*, & *Acquiſitam*. *Naturalis* eſt ſagacitas nobis inſita ad verum inveniendum & judicandum. *Acquiſita* eſt ars ſtudio & exercitatione comparata, quæ naturalem ſagacitatem adjuvat. Quamquam naturalis ſagacitas proprie Logi-

(4) Cum Logica dividatur in *Docentem*, & *Utentem*, ut poſtea dicemus; officium Dialectici *Docentis* eſt, regulas tradere, quæ pertinent ad apte diſſerendum; *Utentis*, apte diſſerere. Hinc etiam apparet, cur finem geminum fecerimus: proximus enim pertinet ad *Docentem*, remotus ad *Utentem*.

(5) Cicero Tuſcul. 5. cap. 25. *Sequitur tertia, quæ per omnes partes ſapientiæ manat & funditur; quæ rem definit, genera diſpertit, ſequentia adjungit, perfecta concludit, vera & falſa dijudicat, diſſerendi ratio & ſcientia*. Materia in ſcholis dicitur *objectum*, quod menti objicitur. Poteſt eſſe multiplex; modo forma ipſa artis ſit una, & finis unus.

ca dici non debet, ſed ſemen quoddam & initium Logicæ (6).

Secundo dividitur in *Topicam*, & *Analyticam*; ideſt in eam partem, quæ invenit, & in eam, quæ judicat. Nam *Topica* locos & notas tradit, quibus res ad diſputandum idoneas inveniamus. *Analytica* inventas reſolvit ac dijudicat (7).

Tertio dividitur in *Dialecticam*, & *Apodicticam*: ideſt in *Diſputantem*, & *Demonſtrantem*. Illa verſatur in materia probabili; hæc in neceſſaria. Nam *Dialectica* diſſerit probabiliter in partem utramque: *Apodictica* partem unam neceſſario demonſtrat (8).

Quar-

(6) Homines natura ipſa ad veritatem duci monet Ariſtoteles in lib. I. de Moribus ad Eudemum, & in lib. I. Rhet. t. 32. οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας. *Homines ſatis informantur ad verum natura ipſa, & in plurimis veritatem aſſequuntur*. Et Cicero ſcribit in Academico primo, cap. II. naturam nobis quaſi normam ſcientiæ & principium ſui dediſſe.

(7) Boethius in proœmio de Differ. Topic. *Omnis ratio diſſerendi, quam Logicen Peripatetici veteres appellavere, in duas diſtribuitur partes, unam inveniendi, alteram judicandi; & ea quidem pars, quæ judicium purgat, atque inſtruit, ab illis* ἀναλυτικὴ *vocata eſt, a nobis poteſt* Reſolutoria *nuncupari; ea vero, quæ inveniendi facultatem ſuppeditat, a Græcis* τοπικὴ, *a nobis* Localis *dicitur*.

(8) Ariſtoteles eam partem, quæ diſputat ex neceſſariis, modo *Apodicticam* vocat, modo *Analyticam*: quæ autem ex probabilibus diſſerit, eam modo *Logicam* dicit, modo *Dialecticam*, modo *Topicam*. Hinc apud ipſum formulæ iſtæ διαλεκτικῶς, λογικῶς, τοπικῶς, γυμναστικῶς, κατ' ἔννοιαν, κατὰ δόξαν, valent *probabiliter*. Quibus opponuntur illæ, ἀποδεικτικῶς, ἀναλυτικῶς, ἐπιστημονικῶς, πραγματικῶς, δογματικῶς, πρὸς ἀλήθειαν, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ideſt *vere* ac *neceſſario*.

Al-

Quarto dividitur in *Docentem*, & *Utentem*. *Docens* inſtrumenta tradit veri perquirendi; ejuſque materia eſt definitio, diviſio, & argumentatio: *Utens* per hæc ipſa inſtrumenta verum perquirit. Itaque Logica *Docens* a rebus eſt avulſa; *Utens* cum rebus conjuncta eſt: uno verbo Logica *Docens* eſt noſtra hæc inſtitutio: *Utens* dici poteſt diſciplina quælibet (9).

Quomodo differt Logica a Rhetorica?

℞. Ea pars Logicæ, quæ diſputat ex probabilibus, quæque proprio nomine *Dialectica* dicitur, finitima Rhetoricæ eſt. Differt tamen tum materia, tum officio, tum fine, tum differendi modo. Differt materia; quia quamvis utraque de rebus omnibus differat, tamen Rhetorica civiles potius tractat, eaſque finita quæſtione comprehenſas: v. g. *Num licuerit Miloni Clodium inſidiatorem interficere* (10). Differt officio; quia officium Dialectici eſt apte diſputare per ea, quæ Græci vocant ἔνδοξα, Latini *opinabilia*: officium Rhetoris eſt recte

Alcinous in Inſtit. ad doctr. Platon. c. 3. dividit ratiocinandi vim in *Apodicticam*, *Epichirematicam*, & *Sophiſticam*. Porro *Epichirematica* eſt, quæ a nobis *Dialectica* dicitur.

(9) Illa omnia appellari Logica poſſunt, quæ Logico more diſputantur ad verum explicandum. Cicero Tuſcul. 4. c. 14. *Habes ea, quæ de perturbationibus diſputant Stoici; quæ Logica appellant, quia diſſeruntur ſubtilius.* Itaque Logicus docens eſt veluti Rhetor, Logicus utens eſt veluti Orator.

(10) Auctor ad Herenn. l. 1. c. 1. *Oratoris officium eſt de iis rebus poſſe dicere, quæ res ad uſum civilem moribus ac legibus conſtitutæ ſunt.*

Digitized by Google

ćte dicere per πιθανὰ, h. e. per *perſuaſibilia*, qua voce non res modo ipſa, ſed etiam animi motus ſignificatur. Differt fine; quia finis Dialećtici eſt opinionem veritatis inſerere; finis Rhetoris eſt fidem facere & perſuadere. Satis enim Dialećtico eſt, ſi is, ad quem dicit, cogatur fateri, quod contendit; quamvis aliud animo ſentiat (11). Rhetori non ſatis eſt; quia ſpećtat aćtionem, cujuſmodi eſt damnatio, aut abſolutio ejus, cujus cauſſam ſuſcepit. Differt modo diſſerendi; quia Rhetor fuſius & ornatius dicit; Dialećticus preſſius & anguſtius: Rhetor incipit fere a concluſione argumenti ſui, & deſinit in propoſitionem; Dialećticus incipit a propoſitione, & ordine procedit ad concluſionem (12). Apud Veteres aliud inſuper erat inter Rhetoricam & Dialećticam diſcrimen, quod colligitur ex Seneca ep. 89. *Omnis oratio aut continua eſt, aut inter rogantem & reſpondentem diſciſſa: hanc διαλεκτικὴν, illam ῥητορικὴν, placuit appellare* (13).

Lo-

(11) Seneca ep. 82. *Ego non redigo iſta ad legem Dialećticam, & ad illos artificii veternoſiſſimi nodos; totumque genus illud exturbandum judico, quo circumſcribi ſe, qui rogatur, exiſtimat; & ad confeſſionem perdućtus aliud reſpondet, aliud putat.* Cicero Tuſcul. 1. cap. 8. *Hæc ſpinoſiora prius ut confitear me cogunt, quam ut aſſentiar.* Vide etiam Quinćtilianum l. 7. c. 3.

(12) Exempli loco ſit illud Medeæ, quæ ita deliberat de filiis occidendis apud Senecam Med. ać. 5. *Occidant; non ſunt mei. Pereant; mei ſunt.* Dialećticus ita efferret: *Non ſunt mei; ergo occidant. Sunt mei; ergo pereant.* Vide Partitiones Orator. Cicer. c. 13.

(13) Eodem refertur illud Ciceronis Academ. 1. cap. 8,

Dia-

Digitized by Google

Logica eſt ne ſcientia, an ars?

℞. Dici poteſt ſcientia, quia eſt cognitio certa & evidens earum rerum, quæ ad diſputandum requiruntur, per cauſſas & rationes minime dubias comparata. Sed quia tendit non modo ad cognoſcenda diſputandi inſtrumenta, ſed etiam ad efficienda, iccirco etiam ars dici poteſt, & quidem ars ſcientiis obnoxia, quia illis inſervit (14).

Eſt ne utilis ad alias ſcientias comparandas?

℞. Quantæ ſit utilitatis, explicat D. Auguſtinus de Ordin. lib. 2. c. 13. *Dialectica diſciplina diſciplinarum: hæc docet docere; hæc docet diſcere; in hac ſe ipſa ratio demonſtrat, atque aperit, quid ſit, quid velit, quid valeat.* Hinc *Organum* appellatur a Peripateticis, hoc eſt inſtrumentum; quod diſciplinis omnibus comparandis viam & rationem præbeat (15).

Eſt

Dialecticæ quaſi ex altera parte Oratoria vis dicendi adhibetur, explicatrix orationis perpetuæ ad perſuadendum accommodatæ. Hinc Dialectica enuntiatio dicitur ἐρώτησις ab Ariſtotele in lib. 1. Topic. c. 8. & ars ipſa diſſerendi ἐρωτηματικὴ paſſim vocatur.

(14) Hoc nomine intelligenda eſt, non Logica naturalis, ſed acquiſita, in primis vero Ariſtotelica; quia primus omnium Ariſtoteles facultatem hanc diſputandi ad ſcientiæ formam traduxit, additis cauſſis & rationibus eorum, quæ docuit.

(15) Addi poteſt Ciceronis auctoritas in Bruto c. 41. *Attulit* (Servius Sulpicius) *hanc artem omnium artium maximam; quaſi lucem ad ea, quæ confuſe ab aliis aut reſponde-*

Eſt ne neceſſaria?

℞. Logica naturalis eſt neceſſaria, acquiſita non item. Hæc ipſa tamen, ſi non prorſus neceſſaria, certe opportuniſſima eſt: cum vix ullus tantum ingenio valeat, ut in hac divinarum humanarumque rerum obſcuritate recte diſputare ſine certis regulis poſſit, veritatemque expedire, quotidianæ vitæ erroribus implicatam.

Eſt ne jucunda?

℞. Logicæ principia aſpera ſunt vel ob id maxime, quod Oratoriis & Poeticis ſtudiis ſuccedunt. Ceterum brevi aſperitatem exuunt, & incredibili voluptate ingenia perfundunt (16).

debantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis. Item lib. 3. de Fin. c. 21. *Dialectica habet rationem, ne cui falſo aſſentiamur; neve umquam captioſa probabilitate fallamur; eaque, quæ de bonis & malis diſſerimus, ut tenere tuerique poſſimus. Sine hac arte quemvis arbitramur a vero abduci fallique poſſe.*

(16) Gellius lib. 16. cap. 8. *Dialecticæ cognitio in principiis quidem tetra, & aſpernabilis, inſuaviſque, & inutilis eſſe videri ſolet. Sed ubi aliquantum proceſſeris, tum denique & emolumentum ejus in animo tuo dilucebit, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis, cui ſane niſi modum feceris, periculum non mediocre erit, ne ut plerique alii, tu quoque in illis Dialecticæ gyris atque mæandris, tamquam apud Sirenios ſcopulos, conſeneſcas,*

PRO-

Digitized by Google

PROTHEORIA II.

DE LOGICÆ RUDIMENTIS.

Quid intelligis per Rudimenta Logicæ?

℟. RUDIMENTA Logicæ dicimus, quæ leviter adumbrant modos, facultates, atque inſtrumenta veritatis inveniendæ ac judicandæ; ideoque prima diſputandi elementa tradunt (1).

Quid, & quotuplex eſt veritas?

℟. Veritas duplex eſt, altera dicitur veritas *rei*, altera *cogitationis*. Veritas *rei* eſt, cum res habet conditiones omnes, quæ ad ejus rationem & naturam conſtituendam ſunt neceſſariæ. Hoc modo verum aurum dicimus, cui omnes auri conditiones inſunt; falſum, cui conditio aliqua deeſt. Hoc veritatis genus appellari ſolet *Metaphyſicum*; ac proinde ad nos non pertinet. Veritas *cogitationis* eſt convenientia quædam cogita-

(1) Vulgares Dialectici *Summulas* dicunt, & *Parva Logicalia*. De his Foxius pag. 172. de Phil. ſtud. rat. *Barbaros illos & immanes Sophiſtas, qui pro Dialectica vera Summulas, ut ipſi vocant, portentaque alia librorum horribilia nobis reliquerunt; quoſque magno Dei beneficio ubique a doctis omnibus exploſos cernimus, ne dignos quidem judico, qui nominentur.* Idem de Dialecticæ uſu p. 10. *Omitto eos, qui ſummulas neſcio quas atque terminos conſcripſere; qui ne umbram quidem Dialectices, nedum uſum ipſum aut cognitionem ſunt aſſecuti.*

tationis noſtræ cum re, de qua cogitamus; quæ quidem, ſi ſermone exprimatur, veritas *ſermonis* appellari poteſt. Hæc noſtri juris eſt, & veritas *Logica* dicitur; cui opponitur falſitas (2).

Quid requiritur ad veritatem detegendam?

℞. Tria requiruntur, *Facultas* cognoſcens, ejus *Actio*, & *Signum* quoddam, ſeu indicium, quod illi præluceat ad cognoſcendum. Singula explicare debemus ordine illo, qui in ſubjecta tabula apparet (3).

RUDIMENTORUM LOGICORUM PARTITIO IN SYNTAGMATA TRIA.

Primum de FACULTATE cognoſcente.
Secundum de SIGNO veritatis cognoſcendæ.
Tertium de ACTIONE facultatis cognoſcentis.

Tertium hoc dividitur in partes quatuor.

Pri-

(2) *Verum metaphyſicum* non differt ab *ente*: ideoque proprie non opponitur illi *falſum*, ſed *non ens*. Ex quo fit, ut metallum ex. gr. ad auri ſimilitudinem conflatum, cui deſunt germanæ ac propriæ auri conditiones, non *falſum aurum* dici debeat, ut vulgo dicitur, ſed *non aurum*.

(3) *Signum* nomine proprio diſciplinæ hujus appellatur *Criterium*, de quo multa ſunt apud Sextum Empir. adver. Log. l. 1. n. 27. & lib. 2. n. 141.

Digitized by Google

Prima eſt *Perceptio*, cujus capita ſeptem.

I. De Notione.
II. De Idea.
III. De Idearum claſſibus.
IV. De Voce.
V. De Definitione.
VI. De Diviſione.
VII. De Vocum proprietatibus.

Secunda *Enunciatio*, cujus capita tria.

I. De Enunciationis natura.
II. De Enunciationis partibus.
III. De Enunciationis proprietatibus.

Tertia *Ratiocinatio*, cujus capita quinque.

I. De Ratiocinationis natura, & partibus.
II. De Ratiocinandi formis.
III. De Syllogiſmo ſimplici.
IV. De Syllogiſmis imperfectis.
V. De Syllogiſmo compoſito.

Quarta *Methodus*, cujus capita duo.

I. De Methodi natura, & partibus.
II. De Methodi legibus.

SYN-

Digitized by Google

SYNTAGMA I.

DE FACULTATE COGNOSCENTE.

Quænam eſt facultas ad veritatem cognoſcendam idonea?

℞. MENS, quæ varia nomina ſumit pro variis modis, quibus utitur in cognoſcendo.

Quinam ſunt iſti modi?

℞. Mens una atque eadem, quatenus intelligit ſine corporeis imaginibus, *intellectus* dicitur (1); quatenus percipit per imagines, vocatur *phantaſia*, ſeu *imaginatio*; quatenus recordatur, *memoria* ſolet nominari; quatenus vult ſine corporis motu, appellatur *voluntas*; quatenus vult cum corporis motu, dicitur *appetitus*; quatenus eorum, quæ vult, aut percipit, ſibi intimo ſenſu conſcia eſt, *conſcientia* nuncupatur. Eadem videt per oculum, audit per aurem, olfacit per nares, guſtat per linguam, tangit per omnes corporis partes; unde ſunt quinque ſenſuum nomina (2).

Quo-

(1) A Philoſophis Carteſianis dicitur *intellectus purus*. In Oraculis Chaldaicis apud Stanlejum n. 31. vocatur *Mentis flos*, νόυ ἄνθος.

(2) Cicero Acad. 4. c. 10. *Mens ſenſuum fons eſt, atque etiam ipſa ſenſus eſt*. Idem Tuſcul. 1. c. 20. *Nos non oculis cernimus ea, quæ videmus. Neque enim eſt ullus ſenſus in corpore, ſed viæ quaſi quædam ſunt ad oculos, ad aures, ad na-*

Digitized by Google

Quomodo ſenſus locum habent in veritate cognoſcenda?

℞. Habent, ſi ratione regantur ac roborentur; ſed potius apud Peripateticos, quam apud Platonicos. Nam Platonici quidem a ratione ad ſenſum pergunt; quia putant evidentes notiones nobis innatas, ſenſus opera excitari (2). Peripatetici a ſenſu pergunt ad rationem; quia notiones quaslibet per ſenſum & experientiam acquiri dicunt. Hinc effatum in ſchola hac celeberrimum: *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu* (3).

B *Sen-*

nares, a ſede animi perforatæ. Itaque ſæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec videmus, nec audimus; ut facile intelligi poſſit, animum & videre & audire, non eas partes, quæ quaſi feneſtræ ſunt animi. D. Auguſtinus de Geneſ. ad litt. lib. 2. c. 24. n. 51. *Neque enim corpus ſentit, ſed anima per corpus, quo velut nuncio utitur ad formandum in ſe ipſa, quod extrinſecus nunciatur.*

(2) Cicero in Acad. 4. c. 46. *Plato omne judicium veritatis veritatemque ipſam, abductam ab opinionibus & ſenſibus, cogitationis ipſius & mentis eſſe voluit.* Adde Academici primi caput 8. ubi idem pluribus explicat.

(3) Ariſtocles apud Euſebium de præpar. Evang. lib. 14. cap. 17. Λέγομεν ὀρθῶς φιλοσοφεῖν τοὺς καὶ τὰς αἰσθήσεις, καὶ τὸν λόγον ἐπὶ τὴν γνῶσιν τῶν πραγμάτων παραλαμβάνοντας. *Dicimus recte illos philoſophari, qui tum ſenſus, tum rationem in rebus cognoſcendis adhibent.* Ajunt Peripatetici, rationem eſſe velut artificem, ſenſum eſſe velut inſtrumentum. De iis Cicero l. 4. de Finib. c. 4. *Pluribus locis quaſi denuncians, ut neque ſenſuum fidem ſine ratione, nec rationis ſine ſenſibus exquiramus, neque eorum alterum ab altero ſeparemus.*

Digitized by Google

Senſus poteſt ne errare?

℞. Senſus, ſicut accipit viſa, ita rationi repræſentat, nullo adhibito judicio. Itaque cum ſenſus judicare non poſſit, ne errare quidem poteſt. Attamen in cauſſa erroris eſt; quatenus interdum quamlibet ejus repræſentationem ſine examine acceptam præcipiti judicio ſequimur (4).

Epicurei referunt ne veritatem ad ſenſum, an ad rationem?

℞. Epicurus (inquit Cicero Acad. 4. c. 46.) *omne judicium in ſenſibus, & in rerum notitiis, & in voluptate conſtituit*. Habet igitur Epicurus tamquam certum & evidens, quidquid *ſenſibus* apparet (5). *Notitiarum* nomine intelligit notiones animo informatas, & effata univerſalia, quibus utimur in rebus ſingulis cognoſcendis ac judicandis (6). Per vo-

(4) Senſus, ad vitandum errorem, iis conditionibus debent eſſe præditi, quas deſcribit Lucullus apud Ciceronem in Acad. 4. cap. 7. *Ita eſt maxime in ſenſibus veritas, ſi & ſani ſunt, & valentes; & omnia removentur, quæ obſtant & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur; & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus uſque eo, dum adſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii: quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore.*

(5) Cicero in Acad. 4. c. 7. *Epicurus ajebat, quidquid ſenſibus videtur, tale eſſe, quale videtur.* Quod cujuſmodi ſit, explicat & confirmat luculenter Sex. Empiricus lib. 1. adver. Logicos.

(6) *Notitia* apud Epicureos, atque adeo etiam apud Stoicos, eſt forma quædam ex viſorum comprehenſione orta, &

voluptatem ſignificat judicium boni, non veri (7).

Quid Stoici?

℞. Stoici veritatis judicia ad viſi comprehenſionem referunt; ſed de viſi natura, & de modo comprehendendi non convenit inter illos (8). Zeno eorum princeps rem totam geſtu explicabat, ut ſcribit Cicero Academ. 4. cap. 47. *Nam cum extenſis digitis, adverſam manum oſtenderat, viſum, inquiebat, hujuſmodi eſt. Deinde, cum paullum digitos conſtrinxerat, aſſenſus hujuſmodi. Tum, cum plane compreſſerat, pugnumque fecerat, comprehenſionem illam eſſe dicebat; qua ex ſimilitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat,* κατάληψιν *impoſuit. Cum autem lævam manum admoverat, & illum pugnum arcte vehementerque compreſſerat, ſcientiam talem eſſe dicebat* (9).

& animo impreſſa; ſine qua, ut ſcribit Cicero in Acad. 4. c. 7. *nec intelligi quidquam, nec quæri, aut diſputari poteſt.* Quatenus porrò præit ſcientiam, eamque gignit, dicitur prænotio, aut anticipatio, Græce πρόληψις.

(7) Etiam *judicium boni* ad Dialecticam revocari, apparet ex Theophilo Corydalleo de Rhetorica n. 3. *Dialecticæ eſt regulam & inſtrumentum videre, per quod poſſimus in contemplando verum a falſo, in agendo bonum a malo ſecernere.* Apud Fabric. Biblioth. Græc. vol. 13. p. 652.

(8) Vide Sex. Empiricum lib. 1. adverſus Logic. n. 228. 253. 372. & lib. 2. Pyrrhon. hyp. n. 70. ubi varii modi recenſentur, quibus Cleanthes præſertim, & Chryſippus rem hanc explicare conabantur.

(9) *Viſum* (Græce φαντασία) eſt impulſio ſenſibus oblata, & animæ impreſſa. Si verum repræſentat, dicitur *viſum comprehenſibile*; ſin minus, dicitur *incomprehenſibile*. V. Ciceronem in Acad. 1. c. 12. & Sex. Empir. l. 1. adverſ. Log. n. 227.

Quid Democritus?

℞. Democritum in ſuam cauſſam trahunt, tum qui verum comprehendi poſſe dicunt, tum qui negant; quod apparet ex quarto Ciceronis Academico. Ubi Philoſophus hic certum ac decretum aliquid habere videtur, rationem ſequitur, eamque unam veri judicem facit; ſenſus autem tenebricoſos dicit (10).

Quid Academici?

℞. Academici de veritate non valde laborarunt; quia *Veteres* quidem nihil ſciri poſſe dicebant, præter hoc unum *nihil ſciri*. *Medii* ajebant, ne hoc quidem comprehendi, ſed omnia eſſe vitio quodam ſuo incomprehenſibilia. *Novi* exiſtimabant, res natura ſua eſſe comprehenſibiles, ſed imbecillitate noſtra comprehendi non poſſe (11).

Quid

227. 247. &c. A Quinctiliano vocatur *viſio* l. 6. c. 2. *Quas phantaſias Græci vocant, nos ſane viſiones appellemus*.

(10) Cicero illum inter ſuos Academicos numerat in 4. Acad. c. 23. *Quid loquar de Democrito? .... Non hoc dicit, quod nos, qui veri eſſe aliquid non negamus, percipi poſſe negamus. Ille verum eſſe plane negat*. Id pluribus explicat Sex. Empiricus Pyrrhon. hypoth. lib. 1. c. 30. Contra ea tamen idem Empiricus in lib. 2. adverſ. Logicos c. 1. n. 6. Οἱ περὶ τὸν Πλάτωνα καὶ Δημόκριτον μόνα τὰ νοητὰ ὑπενόησαν ἀληθῆ εἶναι. *Platonici & Democritici ea ſola vera eſſe exiſtimarunt, quæ intelligentia comprehenderentur*.

(11) Lactantius lib. 3. c. 14. *Academia nihil docet, niſi ut ſcias, te nihil ſcire*. Cicero in 1. Acad. c. 13. *Arceſilas negabat eſſe quicquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet*. Porro veteres Academici

pro-

Quid Sceptici?

℞. Sceptici minime omnium de veri judicio ſolliciti ſunt; quippe qui nil magis eſſe, quam non eſſe exiſtimant, & in rebus omnibus aſſenſum ſuſtinent. Ita ſe animi tranquillitatem adeptos arbitrantur, quod nihil ajant, nihil negent, nihil quærant, nihil fugiant (13).

Quid Scholaſtici?

℞. Scholaſtici multas facultates comminiſcuntur, multiſque ambagibus involvunt. Res igitur quælibet cognoſcendæ ex eorum opinione ſimula-

profecti ſunt a Socrate; *Medii* ab Arceſila; *Novi* a Carneade. Quidam addunt & quartos, quorum parens *Philo*; & quintos, quorum auctor *Antiochus*: ſed duæ iſtæ poſtremæ familiæ nullo in numero habentur. Diogenes Laert. in Procem. n. 19. *Veteris* Academiæ principem facit Platonem, *Mediæ* Arceſilaum, *Novæ* Lacydem.

(13) *Sceptici* dicuntur a σκέπτομαι, quod res dumtaxat conſiderent, nihil decernentes. Iidem *Pyrrhonei* vocantur a Pyrrhone hujus ſectæ principe: quamquam ipſe nihil ſcriptum reliquit, ut eſt apud Euſebium de præpar. Evang. lib. 14. c. 18. *Sceptici* parum differunt a *Mediis Academicis*, quorum auctor Arceſilas. Nam hic quoque in rebus omnibus aſſenſum ſuſpendebat. A *Novis* autem valde differunt. *Novi* enim *Academici* dicunt, omnia eſſe incomprehenſibilia; *Sceptici* ne hoc quidem dicere audent, ſed concedunt, quædam fortaſſe comprehendi poſſe. *Novi Academici* admittunt probabilia, & improbabilia, & rurſus probabilium plura genera faciunt, ut aliud alio ſit probabilius. *Sceptici* probabilia quidem ſequuntur in agenda vita, hoc eſt leges, conſuetudines, & naturales affectiones; ſed tamen id faciunt citra propenſionem, acquieſcentes potius, quam aſſentientes. Uno verbo *Novi Academici* opinantur, *Sceptici* non opinantur.

Digitized by Google

cra quædam emittunt, quæ *ſpecies intentionales* appellantur. Species iſtæ, cum ſpargantur quaquaverſum, in *ſenſus externos* incurrunt, & *ſenſibiles* fiunt. Hinc ad *ſenſum communem* pergunt, ideſt ad medium cerebrum, ubi ſenſuum omnium centrum eſt, & communis quædam ſenſibilium comprehenſio. A ſenſu communi migrant ad *phantaſiam*, ubi variis modis componuntur ac ſeparantur, & *phantaſmata* dici ſolent. Inde ad *intellectum agentem* tranſeunt, a quo illuſtrantur, & *intelligibiles* fiunt. Poſtremo ab *intellectu patiente* excipiuntur, tamquam a ſpeculo quodam, ubi cognitio perficitur. Porro in intellectu agente vocantur *ſpecies impreſſa*, in patiente *expreſſa* (14).

(14) Quæ *ſpecies intentionales* dicuntur a Scholaſticis, & inter qualitates referuntur, *ſpecies corporea*, & *ſimulacra rerum* vocantur ab Epicureis. Deſcribuntur a Lucretio l. 4. v. 34.

——————rerum ſimulacra vocamus,
Qua, quaſi membrana ſummo de corpore rerum
Direpta, volitant ultro citroque per auras.

Ab Apulejo in Apolog. dicuntur *exuvia jugi fluore a corporibus manantes*. Hæ incedentes in ſenſus noſtros efficiunt *viſa*, de quibus Stoici tam multa diſputant.

SYN-

SYNTAGMA II.

DE SIGNO VERITATIS COGNOSCENDÆ.

Quodnam eſt veritatis ſignum?

℞. SIGNUM, quod menti prælucet ad rerum veritatem detegendam, *Criterium* dici ſolet, a Græca voce κριτήριον. Duplex eſt, *evidentia*, & *vividus ſenſus*. Per *evidentiam* cognoſco primum quidem rerum naturas & modos; verbi gr. triangulum habere tres angulos: tum quidquid neceſſaria conſecutione conſtat; verbi gr. eum qui diſputat, quandiu diſputat, neceſſario eſſe (1). Per *vividum ſenſum* corpora percipiuntur. Hac ratione cognoſco, eſſe mihi corpus; & eſſe corpora alia mihi circunfuſa, a quibus lædi, & juvari poſſum (2).

Quodnam eſt criterium internarum affectionum?

℞. *Intimus ſenſus* criterium eſt internarum affe-

(1) Lucullus in 4. Ciceronis Academ. c. 14. *Perſpicuitas ſatis magnam habet vim, ut ipſa per ſeſe ea, quæ ſint, nobis ita, ut ſint, indicet*. Criterium hoc vel excludit, vel dubia facit omnia illa Philoſophorum inventa & cogitata, quorum evidens notio haberi non poteſt.

(2) Quidam putant, tantam eſſe ſenſuum fallaciam, ut corporum exiſtentia demonſtrari nequeat, niſi fide & revelatione divina. Sed iſti quidem, dum ſenſus evertere conantur, ipſam quoque fidem & revelationem evertunt, quæ eſt *ex auditu*.

ctionum, cogitationis, doloris, voluptatis. Sed hoc quidem criterium ſignificat, eas eſſe; quid ſint, aut quomodo fiant, non patefacit. Igitur qui clare firmeque percipit, ſe cogitare, dolere, lætari; revera cogitat, dolet, lætatur: at unde hoc ſit, aut quale ſit, ſine erroris periculo judicare non poteſt (3).

Cedo mihi veritatis Criterium apud Epicureos.

℞. Viſorum perſpicuitate, & evidentia comprehenſionis utuntur Epicurei ad verum & falſum dijudicandum, ideſt certa & perſpicua impulſione rerum in ſenſus noſtros; in quibus, ut ait Latinus Epicurus in lib. 1. de nat. rer. v. 424.

.... niſi firma fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quicquam ratione queamus.

Quonam Stoici Criterio utuntur?

℞. Idem prorſus eſt Criterium ſcholæ Stoicæ. Verum enim Stoici appellant, quod evidenter apparet, ortum ab eo quod eſt, & id quod eſt, ſine fallacia repræſentans (4).

Quo-

(3) Hoc ſumtum eſt a Cyrenaicis, quorum doctrinam explicat Empiricus lib. 1. adv. Log. & Cicero Academ. 4. cap. 24. *Quid Cyrenaici videntur? minime contemti Philoſophi, qui negant eſſe quicquam, quod percipi poſſit extrinſecus; ea ſe ſola percipere, quæ tactu intimo ſentiant, ut dolorem, ut voluptatem; neque ſe quo quid colore, aut quo ſono ſit, ſcire, ſed tantum ſentire, affici ſe quodammodo.*

(4) Conſule Sextum Empiricum lib. 1. adverſ. Logic. n. 245. Verum porro admittebant veteres Stoici non in re, neque

Quonam Sceptici?

℞. Sceptici, cum rem nullam magis eſſe, quam non eſſe dicerent, paremque fidem viſis omnibus tribuerent, attamen ne nihil agerent, probabile aliquid in vita admittebant, eoque utebantur tamquam regula & criterio agendi, ſed citra opinionem, cedendo potius & non repugnando, quam aſſentiendo (5).

Quonam Academici?

℞. Novi Academici, quorum maxime habetur ratio, viſionem probabilem admittebant tamquam criterium agendi, quærendi, ac diſſerendi. Viſio autem probabilis ab iis dicebatur, quæ vera appareret, ſive eſſet hujuſmodi, ſive non eſſet. Hanc tribus gradibus diſtinguebant, ut alia ſimpliciter *probabilis* diceretur (πιθανὴ); alia *probabilis, & non impedita* (πιθανὴ καὶ ἀπερίσπαστος); alia *probabilis, non impedita, & accurata conſideratione examinata* (πιθανὴ ἀπερίσπαστος, καὶ περιωδευμένη). Tertiæ huic viſioni cum certo propoſito & opinione aſſentiebantur (6).

Quod-

que in voce, ſed in eſſato, ἐν τῷ λεκτῷ, quod axioma vocabant. V. infra P. 2. c. 1. de Enunciat.

(5) Probabile appellabant quod ſenſibus appareret; idque ad quatuor capita referebant, ut ſcribit Sex. Empiricus Pyrrhon. hypoth. l. 1. c. 11. *ad ductum naturæ, ad naturalium affectionum neceſſitatem, ad legum morumque conſtitutionem, ad artium exercitationem.*

(6) Tres iſti probabilis viſionis gradus explicantur a Sexto Empir. lib. 1. Pyrrhon. hyp. c. 33. & adverſ. Logic. n. 166. a Ga-

Quodnam eſt probabilitatis Criterium apud Peripateticos?

℞. Hominum judicium. Eſt enim probabile, quod probatur omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus, ut docet Ariſtoteles lib. 1. Topic. cap. 1. Porro conſenſus omnium, ſi de facto aliquo controverſia ſit, exploratam veritatem facit. Nam ex. gr. Ciceronem Romæ fuiſſe Conſulem, Auguſtum fuiſſe Imperatorem, tam certum & evidens eſt, quam quod maxime (7).

Quodnam ex his judiciis ſequendum eſt?

℞. Commune *omnium* judicium primo loco haberi debet: tum ſi duo reliqua inter ſe conferantur, in judicio verborum ſtandum eſt *plurimis*; in rerum judicio ſtandum eſt *ſapientibus*, & quidem ſapientiſſimo cuique in arte ſua. Scitum eſt enim illud, *Loquendum ut multi, ſentiendum ut pauci*.

Dubia quonam Criterio dignoſcuntur?

℞. Quadruplex videtur eſſe dubiorum Criterium.

a Galeno l. 9. de decretis Hippocr. a Cicerone in Acad. 4. c. 11. Sæpe tamen ſecundus & tertius inter ſe commutantur, interdum etiam conjunguntur. Porro de Mediis Academicis nihil dicimus, quia parum a Scepticis diſſidebant, ut ſcribit Sex. Empiricus ibidem. Neque de Veteribus, quia verum admittebant, & ſolo nomine a Peripateticis diſcrepabant, ut ait Lucullus apud Ciceronem Acad. 4. c. 5.

(7) Ad *probabilitatem* tamquam ad genus revocari poteſt *veriſimilitudo*. Quod enim eſt maxime *probabile*, dici poteſt ſimile *vero*. Ceterum ratio & natura *probabilitatis* in eo poſita videtur, ut in re qualibet ſit multiplex; *veritas* una eſt, & uno modo ſe habet.

Digitized by Google

rium. Primum, ſi nullum ſit argumentum neque ad ajendum, neque ad negandum: qua ratione dubium dicitur illud Xenophanis. apud Ciceronem in Acad. 4. c. 39. *in Luna habitari*. Secundum, ſi argumenta paria ſint, vel pæne paria; quomodo dubiæ ſunt *ideæ innatæ*, quæ ancipiti Marte oppugnantur, ac propugnantur. Tertium, ſi plura ſint argumenta ad ajendum; quo ex genere dubium vocatur Pythagoricum illud apud Senecam lib. 7. quæſt. nat. c. 2. *terram moveri*. Quartum, ſi plura ſint argumenta ad negandum; ut in curationibus per pulverem ſympathicum. Quamquam quæ in primo genere ſunt, *ignota* potius appellari debent; quæ in ſecundo, *dubia*; quæ in tertio, *veriſimilia*; quæ in quarto, *valde incerta* (8).

Quodnam eſt Criterium eorum, quæ ſupra naturam ſunt?

℞. Quoniam Dialectica cuilibet cognitioni facem præferre debet, dicimus, ejus veri, quod ſupra naturam eſt, Criterium eſſe revelationem certam atque exploratam. Nam, quod conſtat divinitus revelatum eſſe, pro certo haberi debet (9).

(8) Id totum exprimi poſſe videtur per formulas, quibus Stoici viſa diſtinguebant, ut eſt apud Sex. Empiricum lib. 1. adverſ. Log. num. 242. Nam primum dici poteſt *nec probabile nec improbabile*; ſecundum *probabile ſimul & improbabile*; tertium *probabile*; quartum *improbabile*.

(9) *Materia* igitur (vulgo *objectum*) veri hujus, eſt myſterium divina revelatione nobis propoſitum: *regula* aſſentiendi eſt ipſa revelatio: *argumentum*, per quod revelatio mentem impellit ad aſſentiendum, eſt revelantis auctoritas, de qua dubitare non licet. Plus enim valet teſtimonium ejus, quem certo tenemus nec fallere, nec falli poſſe, quam quæ-

Digitized by Google

quælibet ratio. Ethnici in ſua Theologiâ eodem modo diſputabant. Nam Socrates apud Platonem in Gorgia, & in Convivio de amore ait, ſe iis, quæ de anima, de Diis, de Dæmonibus, a Diotima fatidica muliere accepiſſet, fidem libentius adhibere, quam ullis vel maxime perſpicuis rationibus. Vide eumdem Platonem in Timæo, ubi de Diis, eorumque procreatione loquitur.

Digitized by Google

SYNTAGMA III.

DE ACTIONE FACULTATIS COGNOSCENTIS.

Quotuplex eſt actio facultatis cognoſcentis?

℞. MENS ad veri notitiam quatuor veluti gradibus progredi videtur. Nam primo quidem rem intuetur ac percipit, quæ dicitur *Perceptio*: deinde cum alia apte conjungit ajendo, aut negando, quæ dicitur *Enunciatio*: tum duas enunciationes ſimul componit, & ex iis tertiam colligit, quæ dicitur *Ratiocinatio*: poſtremo tria hæc recte & appoſite ad verum aperiendum diſponit, quæ dicitur *Methodus*. De ſingulis ordine agemus (1).

(1) Recte percipiendo vitantur *ambigua*; recte enunciando vitantur *falſa*; recte ratiocinando vitantur *inconſequentia*; recte diſponendo vitantur *obſcura*: quæ ſunt quatuor vitia Logico propoſita ad expugnandum. Cicero partitionem hanc adumbravit de Finibus lib. 2. cap. 6. *Dialectica continet omnem & perſpiciendi, quid in quaque re ſit, ſcientiam; & judicandi, quale quidque ſit; & ratione ac via diſputandi*. *Perceptio* eſt quid individuum, veluti punctum; *Enunciatio* eſt veluti linea; *Ratiocinatio* eſt veluti corpus.

Digitized by Google

PARS PRIMA

DE PERCEPTIONE.

Quid eſt Perceptio?

℞. EST ſimplex mentis intuitus & contemplatio, quæ nihil ait, nihil negat; ut cum ſolem, aut ignem, aut aliud quippiam vel ſenſu percipimus, vel cogitatione complectimur: quæ quidem ſimplex rei comprehenſio, dum in mente eſt, *notio* dicitur; dum ore expromitur, *vox* appellari ſolet. *Perceptio* igitur duo continet, *notionem*, & *vocem*. De illa prius agemûs; quia prius eſt rem noſſe, quam verbis declarare (1).

(1) Perceptio ab aliis Dialecticis dicitur *apprehenſio*; magniſque contentionibus diſputatur, utrum inter actiones, an inter paſſiones ſit referenda. Juniores plerique ajunt, mentem percipere patiendo; veteres, Scholaſtici præſertim, agendo & patiendo. Et hi quidem videntur dicere magis ſimilia vero: quia ſi mens percipiendo nullam edit contentionem, fit in illam talis quædam imaginum impreſſio, qualis fit in ſpeculum minime vitale; ſi contentionem edit, agit. Cic. Acad. 4. c. 10. *Mens naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur.*

Digitized by Google

CAPUT I.

DE NOTIONE.

Quid eſt notio?

℟. NOTIO nihil eſt aliud, quam actio mentis percipientis, ſive res corporeas percipiat, ſive incorporeas, ſive præſentes, ſive abſentes, ſive inteſtinas, ſive oblatas (1).

Notio rei corporeæ quomodo fit?

℟. Mens, ut videtur, rem corpoream intelligit per ſimulacrum quoddam, ſeu ſpeciem ipſi objectam, quæ Græco nomine, ſed communiter accepto, *idea* dicitur (2).

Notio rei incorporeæ eſt ne aliquid ſpiritale?

℟. Mens corporeis vinculis illigata, nullas cogitationes elicit, niſi a corpore quoquo modo pendeant, vel ad illud comparando referantur. Siquid in

(1) Interdum *notio* uſurpatur pro impreſſa quadam intelligentia, non pro ipſa animi intelligentis actione. Græci *ἔννοιαι* vocant; de qua Cicero præſertim in Topicis, de Finibus, in Tuſcul. & Acad. quæſtionibus.

(2) *Ideæ* nomen reperiſſe videtur Plato. Cicero Acad. 1. c. 8. *Hanc illi ideam appellant, jam a Platone ita nominatam; nos recte ſpeciem poſſumus dicere*. Alii tamen exiſtimant, vocem hanc antiquiorem Platone eſſe, ſed ab eo primum fuiſſe traductam ad formas rerum archetypas ſignificandas.

Digitized by Google

in illa omnino ſpiritale eſt, aut eſſe poteſt, (ut nos quidem firmiſſime tenemus) tunc apparebit, cum a corpore ſoluta ac libera, per ſe ipſa cogitabit.

Quomodo igitur nunc res incorporeas percipere dicitur?

℞. Res incorporeas percipere dicitur, cum ea intelligit, quorum nullum eſt in natura ſimulacrum certum atque expreſſum, quod ſibi contemplandum proponat; ut cum de ſua cogitatione cogitat, vel de natura virtutis ac vitii, vel de rebus aliis, quæ corpora dici nequeunt. Hic tamen ipſe intelligendi modus ſua quadam ratione a corpore proficiſcitur, & ab eo pendet. Nemo enim cogitationem ſuam meditatur, niſi prius cogitarit aliquid, quod ſit corpus, vel a corpore; nemo naturam virtutis & vitii animo verſat, niſi in rebus corporeis virtutes ac vitia animadverterit. Itaque modus hic intelligendi *conſcientia* quædam eſt, qua mens ſibi *conſcire* dicitur, & quodammodo ſentire, quid antea egerit (3).

(3) Seneca epiſt. 106. contendit virtutes, vitia, affectus, & perturbationes omnes, ſive bonæ, ſive malæ dicantur, corpora eſſe. Sed hoc ex diſciplina Stoicorum, qui omnia dividebant in ea, quæ *ſunt*, & in ea, quæ non *ſunt*: prima appellabant *corporalia*, ſecunda *incorporalia*. Ea porro *non eſſe* dicebant, quæ ſola cogitatione continerentur. Igitur rem & vocem *corpoream* vocabant, axioma & λεκτὸν quodlibet *incorporeum*. Idem Seneca epiſt. 117. *Dico*, Cato ambulat. *Non corpus quidem eſt, quod nunc loquor; ſed enunciativum quiddam de corpore.*

CA-

CAPUT II.

DE IDEA.

Quid eſt Idea?

℞. IDEA eſt forma quædam animo compre-henſa, ſeu id quod in mente eſt, dum mens cogitat. Gignitur autem, ut nobis videtur, a mente ipſa, quoties lumen ſuum per attentionem in res cognoſcendas convertit (1).

Idea quomodo dividitur?

℞. Idea dividi poteſt ratione ſuæ originis, ratione objecti, & ratione ſuarum affectionum.

(1) D. Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 46. *Ideas Latine poſſumus vel formas, vel ſpecies dicere, ut verbum a verbo transferre videamur*. Interdum tamen nec forma, neque ſpecies dici poteſt, ſed intimus quidam animi ſenſus. Interdum etiam diſtinguunt Platonici inter *Ideam*, & *idos*, ajentes *ideam* eſſe veluti ſigillum, *idos* veluti formam per ſigillum impreſſam. Seneca ep. 58. *Quartum locum habet idos. Quid ſit hoc idos, attendas oportet; & Platoni imputes, non mihi hanc rerum difficultatem. Nulla eſt autem ſine difficultate ſubtilitas. Paullo ante pictoris imagine utebar. Ille cum reddere Virgilium coloribus vellet, ipſum intuebatur. Idea erat Virgilii facies, futuri operis exemplar. Ex hac quod artifex trahit, & operi ſuo imponit, idos eſt. Quid interſit, quæris? Alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumta, & operi impoſita. Alterum artifex imitatur, alterum facit. Habet aliquam faciem ſtatua, hoc eſt idos: habet aliquam faciem exemplar ipſum, quod intuens opifex ſtatuam figuravit: hæc idea eſt. Etiamnum aliam deſideras diſtinctionem? Idos in opere eſt. Idea extra opus: nec tantum extra opus eſt, ſed ante opus.*

Digitized by Google

Quomodo dividitur ratione ſuæ originis?

℞. Vulgo docent, alias eſſe ideas *adventitias*, quæ a rebus externis per ſenſus adveniunt, ut ſpecies montis; alias *factitias*, quæ a mente formantur ex ideis jam comparatis, componendo, ſeparando, addendo, detrahendo, ut ſpecies montis aurei; alias *innatas*, quæ ab ipſo ortu ſine opera noſtra nobis inſeruntur, quæcumque illæ ſint, ſi modo ſunt aliquæ.

Sunt ne omnes admittendæ?

℞. Ideæ *adventitiæ*, & *factitiæ* extra controverſiam poſitæ ſunt. De *innatis* pugnant inter ſe Platonici, & Peripatetici. Si me rogas, nihil eſt hominum mentibus innatum; quandoquidem ſentiendi & cogitandi facultatem habent, per quam ideas quaslibet ſibi acquirant ad vitæ uſum neceſſarias (3).

Idea quomodo dividitur ratione ſuarum affectionum?

℞. Dividitur in *claram*, *diſtinctam*, & *perfectam*. Eatenus autem dicitur *clara*, quatenus perſpicue cognoſcitur. Eatenus *diſtincta*, quatenus ab aliis ſeparatur. Eatenus *perfecta*, quatenus in integram quamdam formam effingitur, nihilque illi deeſt. Diſcrimen hoc ratione conſtat & modo quodam; ce-

(3) Facultas hæc *ſemen* dicitur a Seneca epiſt. 120. *Natura ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit*.

Digitized by Google

ceterum in re nullum eſt. Siquidem quæcumque idea *clara* eſt, eadem eſt *diſtincta*, & *perfecta* (4).

Quænam ſunt ideæ claræ?

℞. Ideæ ſimpliciſſimæ, quæ a nobis ipſis formantur, claræ ſunt; ut idea exiſtentiæ, ſi ita loqui licet, idea rotundi, paris, imparis &c. Nam quæ a rebus adveniunt, ſemper aliquid habent obſcuritatis: ſiquidem in natura nihil eſt, niſi compoſitum & abſtruſum. Iſtiuſmodi ideæ, quæ inter *factitias* referuntur, appellari ſolent in ſcholis Mathematicæ, & Metaphyſicæ.

Cur inter affectiones ideæ non refers veritatem, & falſitatem?

℞. Qui ideam dividit in veram, & falſam, perperam dividit. Nam, cum idea rem dumtaxat repræſentet, nihil ajendo, aut negando; neque veritatem, neque falſitatem capit. Eſſe tamen poteſt veritatis & falſitatis cauſſa. Etenim ſi rei ad cognoſcendum propoſitæ congruat, cauſſam præbet enunciationi veræ; ſi ab ea diſcrepet, cauſſam præbet enunciationi falſæ (5).

(4) Qui *claras* ideas ſeparant a *diſtinctis*, exempla afferunt animæ, doloris, voluptatis; quarum rerum ideam *claram* nos habere dicunt, non tamen *diſtinctam*. Scilicet iſti exiſtentiæ ideam cum idea eſſentiæ confundunt. Nam clare diſtinctequе cognoſcimus nobis ineſſe animam, dolorem, voluptatem; quid hæc ſint, non cognoſcimus. Itaque exiſtentiæ ideam habemus claram & diſtinctam, eſſentiæ nullam.

(5) Ratio eſt, quia mens in judicando ſequitur perceptionem; nec judicare poteſt aliter atque percepit.

Digitized by Google

Idea quomodo dividitur ratione objecti?

℟. Tunc idea dividitur ratione objecti, cum dividitur pro varietate rerum, quæ menti objiciuntur. Diviſio hujuſmodi gemina eſt apud Logicos.

Cedo mihi primam.

℟. Primo idea dividitur in *ſimplicem*, & *compoſitam*. Quidquid enim menti objicitur, vel eſt *res*, vel *modus*, vel *res modo affecta*. *Res*, ſive *ſubſtantia*, eſt id, quod per ſe conſtat, ut lignum: *modus* eſt id, quod non conſtat in rerum natura, niſi per aliud, ut ligni figura: *res modo affecta* eſt ipſa *ſubſtantia*, certo quodam modo conformata, ut lignum figuratum. Igitur *ſimplex idea* eſt ea, quæ rem, vel modum dumtaxat repræſentat; *compoſita*, quæ rem ſimul & rei modum exhibet.

Cedo mihi diviſionem alteram.

℟. Idea rurſus dividitur pro varia extenſione rerum, quas refert, in *univerſalem*, quæ multa continet, ut animal; in *particularem*, quæ rem unam repræſentat, non tamen definitam, ut aliquod animal; in *ſingularem*, quæ unum quid certum ac determinatum ſignificat, ut hoc animal (5).

Eſt

(5) Vox *Particularis* non habet auctorem locupletiorem Apulejo. Uſus ſcholarum ac librorum omnium pæne neceſſariam fecit. Potuiſſem adhibere vocem *Infinitus*, quæ hac plane ſignificatione uſurpatur a Cicerone de Fato c. 8. Sed in docendo habenda ratio eſt communis ſenſus & perſpicuitatis.

Digitized by Google

Eſt ne univerſale aliquid in rerum natura?

℞. In natura nihil eſt niſi ſingulare. Itaque univerſale fit per cogitationem noſtram: & dici poteſt idea communis, cujus tota ratio eſt in mente, quatenus mens ſibi conſcia multarum rerum ſingularium, quas ſenſu percepit, ſuis quamque attributionibus ſpoliat; & ſub una eademque ratione, in qua conveniunt, omnes conſiderat (6).

Fitne revera univerſale?

℞. Univerſale revera non fit, ſed detegitur in ſingulari per quandam detractionem. Ex. gr. viſo Socrate, detraho illi attributiones peculiares & modos, quibus ab aliis hominibus differt; ex quo fit, ut remaneat in mente mea natura quædam communis, quæ *ſpecies* dicitur, ideſt imago *hominem* univerſe repræſentans. Rurſus, redintegrata detractione, invenio naturam magis communem, quæ *genus* dicitur; nam abjecta ratione, remanet *animal*; quæ idea nihilo plus, quam rem ſentientem comprehendit. Præterea per novam detractionem detego naturam magis communem; nam abjecta ſentiendi virtute, remanet vegetans, uti

(6) Scholaſtici quidam ita ferme fieri dicunt Univerſale: *Intellectus per conjunctionem, quam habet cum phantaſia, intelligit ſingularia; deinde comparat illa inter ſe, & abſtrahit quandam naturam communem, per quam abſtractionem illa natura denominatur, & fit univerſalis ab intellectu abſtrahente.* Alii fieri dicunt Univerſale *per confuſam quandam ſingularium perceptionem, quæ perceptio exhibet menti commune aliquid, abſtrahendo a principiis diviſionis.* Hæc ſunt ipſorum verba.

Digitized by Google

planta. Denique, detracta etiam vivendi facultate, reperio genus quoddam ſummum & maxime universale, ideſt *corpus*; & ſic porro pergo uſque ad ſubſtantiam (7).

Univerſale eſt ne unius rationis?

℞. Univerſale vel *complexum* dicitur, quod continet enunciata communia; de quibus alius erit agendi locus: vel *ſimplex*, quod ſimplici notione conſtat, & ſimplici voce exprimitur; de quo in præſenti agere aggredimur (8).

(7) Qui univerſale formant per *expreſſionem & abſtractionem*, vel gignunt, vel gignere ſibi videntur naturam quandam communem, a ſingulis rebus ſimul collatis abductam; de qua multæ ortæ ſunt controverſiæ. At dum univerſale per *detractionem* fit, nihil eſt quod gignatur: dumtaxat removentur propria & peculiaria, & relinquitur in re, quod commune eſt; idque unum conſideratur.

(8) Univerſale *ſimplex*, ſi cauſſam remotam conſideremus, oritur a ſenſu; ſiquidem oritur a ſingulari. Quomodo ipſum quoque univerſale *complexum* a ſenſibus oriatur per quamdam rerum ſingularium inductionem atque experientiam, explicat Ariſtoteles in lib. 2. Poſter. Anal. cap. ult.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

DE IDEARUM CLASSIBUS.

Quibus claſſibus comprehenduntur ideæ?

℞. IDEÆ omnes revocantur ad ea, quæ Logici dicunt *Prædicabilia*, & *Prædicamenta*.

Quænam ſunt Prædicabilia?

℞. De his fuſius agemus in Inſtitutionibus: attamen hic quoque leviter attingenda ſunt; quia ſine eorum cognitione rerum ideæ diſtingui nequeunt. *Prædicabilia* igitur ſunt quinque notiones maxime communes, per quas veluti per notas quaſdam oſtenditur, quomodo res quævis de re quavis prædicetur. *Prædicari* autem apud Logicos eſt dici & enunciari. Sunt *genus*, *ſpecies*, *differentia*, *proprium*, & *accidens*. Nam *Genus* prædicatur ut pars eſſentiæ communior; ut cum Socrates dicitur *animal*: *Differentia* ut pars eſſentiæ peculiaris & propria; ut cum dicitur *rationalis*: *Species* tamquam tota eſſentia; ut cum dicitur *homo*: *Proprium* tamquam affectio neceſſaria ab eſſentia profluens; ut cum dicitur *ridendi* & *admirandi capax*: *Accidens* tamquam affectio extranea & fortuita; ut cum dicitur *albus* (1).

(1) Prædicabilia explicantur a Porphyrio in libello, qui præmitti ſolet Logicis Ariſtotelis operibus, non tamquam pars,

Digitized by Google

Quænam ſunt Prædicamenta?

℞. Quemadmodum *Prædicabilia* ſunt modi prædicandi, ita *Prædicamenta* ſunt res, quæ prædicantur. Dividuntur ab Ariſtotele in claſſes decem, quas appellat *Categorias* (2).

Cedo mihi claſſes iſtas.

℞. Vulgo comprehendi ſolent duobus carminibus, quamvis inſulſis:

Arbor ſex ſervos ardore refrigerat uſtos.
Ruri cras ſtabo, ſed tunicatus ero.

Nam quidquid mente concipitur, aut eſt *ſubſtantia*, aut eſt in ſubſtantia, & dicitur *modus* ejus, ſeu *accidens*. Prima igitur Categoria *ſubſtantia* eſt, reliquæ novem ſunt varii ſubſtantiæ *modi*; ideſt *quantitas*, *relatio*, *qualitas*, *actio*, *paſſio*, *ubi*, *quando*, *ſitus*, *habitus*; quæ ſingula per ſingulas carminum voces ſignificantur. Hi ſunt fontes atque elementa, ut vocat Quinctilianus, notionum & vocabulorum omnium (3).

Con-

pars, ſed tamquam *Introductio* ad Logicam. Ita enim ſonat *Iſagoge*, quæ vox tituli loco eſt. Utilitas opuſculi hujus ad veram germanamque ſcientiam quanta ſit, intelligi non poteſt niſi a philoſopho.

(2) Hic tum modi prædicandi, tum res conſiderantur, non ut ſunt in ſe ipſis, ſed quatenus menti objiciuntur, & ideæ vocari ſolent.

(3) Numerus prædicamentorum pendet ex modis interrogandi. Quæri enim primum ſolet de re qualibet, *quid ſit*, tum *quanta*, deinde *qualis*; & ſic porro *quo referatur*, *quid agat*, *quid patiatur*, *ubi ſit*, *quando ſit*, *quomodo ſita*, *quo habitu prædita*.

Digitized by Google

Convenit ne inter Logicos de numero Prædicamentorum?

℞. Nihil eſt, de quo minus conveniat. Alii enim duo tantum faciunt ſumma rerum omnium capita, *ſubſtantiam*, & *modum*: alii tria, *ſubſtantiam*, *modum*, & *relationem*: alii quatuor, *mentem*, *ſpatium*, *materiam*, & *motum*: alii ſeptem, quæ diſticho concluduntur:

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Craſſaque materies dederunt exordia rebus.

Nos quem ducem ſequemur?

℞. Ariſtotelem: ideoque ejus decem Categorias tot ſapientum judicio & vetuſtatis auctoritate confirmatas retinebimus (4).

Quid eſt igitur ſubſtantia?

℞. Eſt id, quod in rerum natura per ſe conſtat. Dividitur autem *ſubſtantia* in corpoream, & incorpoream (5): *corpus* in vivens, & non vivens: *vivens* in ſentiens, & non ſentiens: *ſentiens* in rationale, & irrationale: *rationale* in varia individua.

(4) Nos famam ſequimur, & ſcholarum conſuetudinem: quamvis non ignoremus de iſtarum Categoriarum auctore ab aliquibus dubitari.

(5) Alii dividunt *ſubſtantiam* in *cogitantem*, & *extenſam*. Nos ſecuti ſumus tum doctiſſimos ex noſtris, tum etiam Clementem Alexand. qui ita exorditur rerum diviſionem in lib. 8. Strom. Τῶν ὄντων τὰ μὲν σώματά ἐστι, τὰ δὲ ἀσώματα. *Eorum, quæ ſunt, alia corpore conſtant, alia corpore carent.*

Digitized by Google

dua. Id clarius apparebit ex ſchemate ſubjecto (6).

Incorporea	Subſtantia	Corporea
Non vivens	Corpus	Vivens
Non ſentiens	Vivens	Sentiens
Irrationale	Animal	Rationale
	Homo	
	Petrus (7).	

Quid eſt quantitas?

℞. Eſt menſura rei; eaque vel *continua*, ut magnitudo, & tempus; vel *diſcreta*, ut numerus.

Quid eſt qualitas?

℞. Eſt forma quædam & modus ſubſtantiæ, a quo talis dicitur; ut color albus in lacte. Ejus quatuor numerantur ſpecies ab Ariſtotele, *habitus perfectus*, *& inchoatus*; *naturalis vis*, *& imbecillitas*; *affectio diuturna*, *& brevis*; *forma*, *& figura* (8).

Quid eſt relatio?

℞. Eſt ordo & affectio unius ad aliud, ut patris

(6) Hæc *Arbor Porphyriana* in ſcholis dicitur, quod ſit a Porphyrio conflata in modum arboris cujuſdam, ad oſtendenda & diſtinguenda Prædicabilia. Hoc porro eſt fundamentum rerum omnium, quæ ſciuntur.

(7) Quatuor ſuperiora vocantur genera, *Homo* ſpecies, *Petrus* individuum. Quæ latera tenent, vocantur differentiæ, quæ exprimuntur per modum adjectivi; quippe quæ adjectæ generibus conſtituunt ſpecies. Id clarius explicabitur in Inſtitutionibus.

(8) Vulgo dici ſolent *habitus*, *& diſpoſitio*; *potentia*, *& impotentia*; *paſſio*, *& patibilis qualitas*; *forma*, *& figura*. Singillatim explicantur in noſtris Inſtitutionibus P. 2. c. 4.

Digitized by Google

tris ad filium, ſervi ad dominum, diſcipuli ad magiſtrum (9).

Quid eſt actio, & paſſio?

℞. *Actio* vulgo definitur actus agentis, ut agens eſt: *paſſio* autem actus agentis in patiente receptus: ut calefactio, quatenus eſt ab igne, dicitur *actio*; quatenus eſt in ligno, dicitur *paſſio*.

Quid eſt ubi?

℞. Eſt eſſe in loco, & ordo ad ipſum; cujus ſex ſunt differentiæ, *ante*, *retro*, *dextrorſum*, *ſiniſtrorſum*, *ſupra*, *infra* (10).

Quid eſt quando?

℞. Eſt eſſe in tempore, & ad ipſum referri; cujus tres ſunt differentiæ, *præteritum*, *præſens*, & *futurum*.

Quid eſt ſitus?

℞. Eſt diſpoſitio partium corporis ratione ſpatii, in quo corpus ipſum poſitum eſt, ut ſedere, ſtare, &c. (11).

Quid

(9) *Relata* a Græcis dicuntur τὰ πρός τι, *quæ ſunt ad aliquid*; a Cicerone in l. 1. de Invent. c. 30. *quæ ſub eandem rationem cadunt*. Referuntur ab Ariſtotele inter oppoſita, ſed eorum oppoſitio minima eſt.

(10) Locus exprimitur per particulam *Ubi*, Tempus per *Quando*; ut appareat, hic non agi de Loci, aut Temporis natura (quod ad Phyſicum pertinet) ſed de eo, quod reſponderi ſolet interrogantibus, *ubi*, & *quando* ſit aliquid.

(11) Phyſici quidam ad *ſitum* referunt etiam poſitionem

&

Digitized by Google

Quid eſt habitus?

℞. Eſt relatio corporis ad veſtes, & ornamenta, quatenus ipſis induitur; ut eſſe togatum, armatum, & alia id genus, quæ reſponderi ſolent interroganti de habitu.

Suntne aliæ interrogationes de ſimplici idea?

℞. Quæri etiam poteſt, ſitne aliquid *ſimul* cum altero; ſitne *prius*; ſitne *oppoſitum*. Quibus interrogationibus ut recte reſpondeas, animadvertere oportet, ex duobus alterum dici *prius* altero vel tempore, vel natura, vel ordine, vel dignitate, vel cauſſa: tum eadem eſſe poſſe *ſimul* vel tempore, vel natura, vel diviſione: poſtremo *opponi* etiam inter ſe poſſe vel tamquam relata, ut dextrum & ſiniſtrum; vel tamquam contraria, ut calor & frigus; vel tamquam privantia, ut lux & tenebræ; vel tamquam contradicentia, ut ſapit, non ſapit. Quæ omnia explicantur in Inſtitutionibus P. 2. *de Poſtprædicamentis*.

& conformationem partium inter ſe ratione totius corporis, quod componunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE VOCE.

Quænam ſunt notionum & idearum ſigna?

℟. VOCES. Eſt enim *vox* ſignum, quo ſuas quiſque cogitationes exprimit: itaque ſi nihil exprimat, ut *blitri*, ad Logicos non pertinet (1).

Quid eſt vox?

℟. Eſt vel *nomen*, vel *verbum*. Nomen rem ſine tempore ſignificat, ut *Deus*: Verbum tempus adſignificat, ut *eſt*, *erit*, *fuit*. Nomen ſimplices ideas & notiones exprimit; verbum enunciationes & judicia conſtituit (2).

Quænam ſunt nominum diviſiones?

℟. Quæ præcipue ad rem faciunt, ſunt numero duodecim.

I. Etenim nomen in enunciatione vel eſt *ſubjectum*,

(1) Quia qui verum quærit, non ſua tantum cauſſa quærit, ſed etiam ut aliis aperiat atque explicet; iccirco de voce agendum eſt, & quidem de illa, quæ ideas noſtras ſignificet. In vocem, quæ nihil ſignificat, cadit illa definitio Senecæ lib. 2. nat. quæſt. c. 29. *Vox nihil aliud eſt, quam ictus aer*.

(2) Vide Ariſtotelem in lib. de Enunciandi ratione, & Platonem in Hippia.

Digitized by Google

ctum, de quo aliquid enunciatur; vel eſt *prædicatum*, quod enunciatur: ex. gr. cum dico, *Deus eſt juſtus*, prima vox ſubjectum eſt, poſtrema prædicatum; verbum autem *eſt* dicitur copula, quia utrumque conjungit. *Subjectum* porro & *prædicatum*, *termini* appellantur, ſeu *extrema*; quia enunciationem utrimque terminant & claudunt (3).

II. Vel eſt *ſimplex*, ut *figura*; vel *complexum*, ut *figura rotunda*. *Simplex* unam tantum notionem declarat; *complexum* vel plures notiones, vel notionem unam, & modos ejus.

III. Vel eſt *concretum*, vel *abſtractum*. *Concretum* rem ſignificat cum ſua forma, ut *Deus*: *abſtractum* formam exprimit ſine re, cujus eſt forma, ut *Divinitas* (4).

IV. Vel eſt *ſubſtantivum*, vel *adjectivum*. *Subſtantivum* rem ſignificat, ut *ſol*; *adjectivum* ſignificat modum, qui rei adjicitur, ut *lucidus*: ex quo fit *ſol lucidus*.

V. Modo rem exprimit per ſe conſtantem & ab alia quacumque ſolutam, quod *abſolutum* appellatur, cujuſmodi eſt *ſol*, *ignis*: modo ſignificat rem ad aliud relatam & affectam, quod dicitur *relatum*, ut *pater*, *ſervus*.

VI.

(3) Utrumque pluribus vocibus interdum conſtat, quamvis terminus unus ſit. Itaque cum Cicero ſcribit Tuſcul. 3. cap. 2. *Gloria eſt conſentiens laus bonorum, & incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute*; vox prima ſubjectum eſt, reliquæ omnes prædicati locum tenent.

(4) Ex concretis fiunt abſtracta. Ita Cicero lib. 3. ad Famil. ep. 7. ex *Appio* & *Lentulo* facit *Appietatem* & *Lentulitatem*. Sed hoc exemplo uſi Scholaſtici nimium ſibi permiſerunt.

Digitized by Google

VI. Vel eſt *Categorematicum*, quod ſolum & per ſe aliquid ſignificat, ut *homo* : vel *ſyncategorematicum*, quod nihil ſignificat, niſi cum alio conjungatur, qualia ſunt pronomina *omnis*, *nullus*, *aliquis*: vel *mixtum*, quod utrumque continet, ut *nihil*, hoc eſt nulla res ; *nemo*, hoc eſt nullus homo (5).

VII. Aliud eſt *Categoricum*, quod ſignificat certam quamdam rem categoria comprehenſam : aliud *vagum*, quod nulla Categoria continetur, ſed per omnes vagatur, cujuſmodi ſunt *eſſentia*, *veritas*, *bonitas*, *ordo*, & ſimilia multa.

VIII. Aliud eſt *univerſale*, quod multa ſignificat, ut animal: aliud *particulare*, quod ſignificat rem unam, ſed minime definitam, ut *aliquod animal*: aliud *ſingulare*, quod aliquid prorſus certum ac definitum ſignificat, ut *hoc animal* (6).

IX. Aliud eſt *Synonymum*, aliud *Homonymum*. *Synonyma* ſunt ea, quæ ſecundum unam eamdemque rationem pluribus tribuuntur; ut *homo*, quæ vox æque tribuitur *Socrati* & *Platoni*, idemque ſignificat in utroque. *Homonyma* ſunt ea, quæ ratio-

(5) Vocabula Græca ſunt; *κατηγόρημα* enim eſt id, quod enunciatur de alio, vulgo *prædicatum* : *συγκατηγόρημα*, quod ſimul enunciatur, quaſi *comprædicatum*. Hinc *Categorematicum* nomen, quod ipſum per ſe ad enunciandum valet; *Syncategorematicum*, quod non valet, niſi cum alio conjungatur. Porro etiam *nullum* Poetica licentia uſurpatur pro nulla re. Horat. Poet. v. 342.

Præter laudem nullius avaris.

(6) Theophraſtus nomen *particulare* appellat *ἀόριστον*, ideſt incertum ; *ſingulare* vocat *ὡρισμένον*, ideſt certum. Illud ſignificat individuum vagum; hoc individuum certum.

Digitized by Google

tionem & naturam diverſam in iis ſignificant, quibus tribuuntur; ut *homo*, cum tribuitur *homini vero*, & *homini picto*. Porro nomen *homonymum* aliud dicitur *caſu*, aliud *ratione*. Primum eſt illud, quod citra rationem temere eſt impoſitum; ut nomen *canis*, cum tribuitur *animali*, & *ſideri*. Secundum eſt, quod rebus tribuitur aliquam inter ſe ſimilitudinem habentibus; ut cum *pes* dicitur de *planta animalis*, & *lecti* (7). Hæc autem dicuntur etiam *analoga*, & quidem magis proprie. Nam *homonyma* revera ſunt illa, quæ multa ſignificant nullo modo ſimilia (8). Rurſus *analoga* alia dicuntur *attributionis*, alia *proportionis*. Nomen *analogum attributionis* eſt illud, quod cum pluribus rebus tribuatur, uni quidem primario convenit, reliquis ſecundario; ut *ſanitas*, quæ *animali* tribui ſolet, *medicinæ*, & *colori*; ſed *animali* proprie & primario, quia illi eſt interna; *medicinæ*, & *colori* ſecundario dumtaxat, quatenus *medicina* ſanitatem efficit; *color* ſignificat. *Analogum proportionis* dicitur illud, quod propter proportionem aliquam pluribus rebus accommodatur; ut *caput* dicitur de *animali*, & de *monte*; quia ut caput animalis eſt ſumma pars ejus, ita caput montis eſt ejus faſtigium.

Huc

(7) Seneca de Benef. lib. 2. cap. 34. *Pedem & noſtrum dicimus, & lecti, & veli, & carminis; canem & venaticum, & marinum, & ſidus: quia non ſufficimus, ut ſingulis ſingula aſſignemus, quoties opus eſt, mutuamur.*

(8) Nomen *Synonymum* pluribus rebus eadem prorſus ſignificatione tribuitur; *Homonymum* tribuitur pluribus ſignificatione plane diverſa; *Analogum* tribuitur pluribus ſignificatione aliquo modo variata.

Digitized by Google

Huc referuntur metaphoræ omnes. Ceterum vox analoga nulli adjecta, ſemper id, quod eſt princeps ac nobilius, ſignificat; ut, cum dico *caput*, ſignifico caput animalis (9).

X. Vel eſt *denominans*, vel *denominatum*, vel *denominativum*. *Denominans* eſt forma abſtracta, quatenus rem afficit, eique nomen tribuit, ut *candor*, quatenus candefacit. *Denominatum* eſt ſubjectum formam recipiens, ut *paries*, qui *candefactus* dicitur. *Denominativum* eſt vox concreta, ut *candidus*. Itaque *denominans* quodammodo *facit*, *denominatum fit*, *denominativum eſt*. Denominatio porro duplex eſt, *interna*, & *externa*, pro formæ denominantis diſcrimine, quæ modo eſt in re ipſa, ut *candor* in exemplo allato; modo extra, ut *viſio*, cum paries dicitur *viſus* (10).

XI. Alia dicuntur *primæ notionis*, quæ primo rebus ſunt impoſita, ut *homo*: alia *ſecundæ notionis*, quæ in ſcholis ad illa explicanda adhibentur, ut cum *homo* dicitur *ſpecies*. Prima dici poſſunt nomina rerum, ſecunda nomina nominum; quia illa rebus ipſis proxime reſpondent, hæc rerum nominibus applicantur. Nomina *primæ notionis* referuntur ad res, ut ſunt in natura: nomina *ſecundæ no-*

(9) Synonyma a Scholaſticis vocantur *Univoca*; quam vocem adhibuit & Priſcianus, ſed contraria prorſus ſignificatione. Homonyma dicuntur ab iiſdem Scholaſticis *Æquivoca*, a Latinis *Ambigua*.

(10) Hinc illud Ariſtotelis Ethic. l. 1. c. 5. *Honorem eſſe potius honorantis, quam honorati*: quia eſt actio ejus, qui honorem tribuit.

Digitized by Google

tionis referuntur ad res, ut ſunt in mente noſtra (11).

XII. Nomen vel *finitum* eſt, vel *infinitum*. *Finitum* rem certam ſignificat, ut *equus*. *Infinitum* fit per particulam *non*, & ſignificat rem incertam, ut *non equus* (12).

(11) Quæ nomina dicuntur a nobis *primæ*, & *ſecundæ notionis*, ea Scholaſtici dicunt *primæ*, & *ſecundæ intentionis*. Porro *ſecundarum intentionum* multas diviſiones faciunt, multaſque de illis quæſtiones excitant; quas non puto eſſe tanti, ut referri a nobis debeant. Quod ad rem pertinet, plerique omnes concludunt, inter *ſecundas intentiones*, & ea, quæ ipſi vocant *entia rationis*, nihil fere diſcriminis eſſe.

(12) Ut eſt *infinitum* nomen, ita eſt etiam *infinitum* verbum; ut ſi dicam, *non valet*; Qua de re vide Ariſtotelem de Enunciandi rat. c. 10.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

DE DEFINITIONE.

Cur hoc loco de definitione, ac diviſione agitur?

℞. QUIA utraque ex doctrina Ariſtotelis ad ſimplicem perceptionem pertinet. Eſt enim notio una, quæ pluribus verbis diſtinguitur & exponitur ſine ullo enunciandi judicio. Hinc puncto individuo comparatur, & *terminus* paſſim dicitur ab Ariſtotele (1). Nam ſiquis interroget, *quid eſt homo?* reſpondeo per definitionem, *animal rationale*. Si urgeat, *quomodo dividitur animal?* reſpondeo, *in rationale*, & *irrationale* (2).

Nonne quidam definitionem referunt inter enunciata?

℞. Utique referunt; quia nomen rei definitæ cum definitione conjungunt per verbum *eſt* hoc modo: *Homo eſt animal rationale*. Sed ex hoc i-

(1) Vide c. 10. lib. 1. Poſter. ubi oſtendit Ariſtoteles, definitionem eſſe ſimplicem terminum. Quomodo autem plura verba terminum unum faciant, explicat ibidem, & in lib. 6. Metaph. c. 12.

(2) Definitio explicat rem per ſyntheſim, ideſt componendo; diviſio per analyſim, ideſt reſolvendo. Nam definitio, ſumtis partibus, ſimulque compoſitis, oſtendit totum ſuis finibus circumſcriptum; diviſio, reſoluto toto, partes oſtendit alias ab aliis ſejunctas.

Digitized by Google

pſo enunciato, in quo definitio prædicati locum tenet, apparet eam eſſe notionem unam. Adde, quod definitio, & res definita non differunt niſi virtute: atqui res definita ſimplex quid eſt, ad primam mentis cogitationem pertinens: igitur etiam definitio eodem pertinere debet, & ſimplici intelligentia percipi (3).

Quid eſt definitio?

℞. Definitio eſt propria, dilucida, & paucis comprehenſa verbis explicatio. Et ut Cicero ſcribit in Orat. c. 33. *Definitio eſt oratio, qua quid ſit id, de quo agitur, oſtendit quam breviſſime* (4).

Quotuplex eſt definitio?

℞. Duplex: altera *nominis*, altera *rei*. Definitio *nominis* eſt, quæ quid per vocem aliquam intelligamus, patefacit; ne verborum ambiguitate peccetur (5). Definitio *rei* eſt, quæ rem ipſam, ejuſque naturam & eſſentiam in aperto ponit.

Quo-

(3) Definitio ſimplex notio eſt; quia inventa eſt ad regendam perceptionem, ne aberret, & falſo judicio occaſionem præbeat. Si definitio, addito nomine rei definitæ, migret in enunciatum, dici poteſt *Oratio, cujus prædicatum continet naturam ſubjecti in ſuas partes evolutam*: Id ſatis apparet in definitione hac: *Homo eſt animal rationale*.

(4) Placuit nobis hoc loco definitionem definire per voces communes, quarum ſignificatio cuilibet ſtatim occurrit. In fine hujus capitis eam definiemus per formulas Logicas.

(5) Perperam quidam exiſtimant, voces omnes, quæ in diſputando adhibentur, definiri debere. Sunt enim quædam primariæ, quarum ſignificatio in communi vitæ uſu notiſſima eſt,

Quotuplex eſt definitio nominis?

℞. Triplex eſt. Prima cum vox obſcura; ſed tamen communis, per alias clariores explicatur; ut cum Cicero ait in Oratione pro Cæc. cap. 17. *dejectum eſſe illum, qui in inferiorem locum de ſuperiore motus eſt* (6). Secunda, cum quis declarat, qua ſignificatione vocabulum aliquod, vel ſibi, vel arti ſuæ proprium, uſurpare velit; quod maxime faciunt, aut facere debent, qui de rebus arcanis ſcribunt, de Alchimia, de Cabbala, de Incantationibus (7). Tertia, cum vox explanatur per dictiones, a quibus oritur; ut cum Cicero in Piſon. cap. 10. ait, *Conſulem* eſſe illum, qui Reipublicæ conſulit; & de Senect. cap. 13. *convivium* eſſe accubationem epularem amicorum, quæ vitæ conjunctionem habet. Hæc a Latinis *Notatio* dicitur, a Græcis *Etymologia* (8).

Quotuplex eſt definitio rei?

℞. Quadruplex. Prima rem manifeſtat per ejus

eſt, & dici poſſunt velut principia definitionum, ne abeatur adinfinitum. Itaque Euclides non definit *Æquale*, non *majus*, non *minus*, non *totum*, non *partem*, & ſimilia.

(6) Huc refertur oratio pro oratione (de qua Ariſtoteles lib. 1. Top. c. 5) ut ſi dicam: *fortem virum eſſe, nihil eſt aliud, quam facere & pati fortia.*

(7) Quinctilianus lib. 7. c. 3. *Opus eſt aliquando finitione obſcurioribus & ignotioribus verbis, ut quid ſit CLARIGATIO.*

(8) Iſtiuſmodi definitiones ab etymologia ductæ, interdum genus ac differentiam continent, non ſecus ac propriæ; ut cum quis *Oxygonum* definiens, ait eſſe *angulum acutum.*

Digitized by Google

naturam & eſſentiam: ſecunda per cauſſas: tertia per proprias affectiones: quarta per communes attributiones. Prima, quæ ceterarum perfectiſſima eſt, proximo genere & propria differentia conſtat; ut cum Homo definitur *Animal rationale*. Secunda rei cauſſas complectitur, vel unam, vel plures, vel omnes; ut cum *homo dicitur ſubſtantia ex corpore & mente conſtans, a Deo in ſui ſimilitudinem facta propter beatitudinem*. Tertia fit ex propriis affectionibus, quæ rei definitæ naturam non conſtituunt, ſed tamen neceſſario comitantur; ut cum homo dicitur *animal ridendi & admirandi capax*. Quarta conflatur per communia quædam, hoc eſt per ea, quæ licet ſeparata in aliis quoque rebus reperiantur, tamen ſimul conjuncta non reperiuntur niſi in re definita. Hujuſmodi ſunt Poetarum, Oratorum, & Hiſtoricorum deſcriptiones (9).

Sunt ne ſingula unius rationis?

℞. Prima non poteſt eſſe niſi una; quia eſſentia rei cujuslibet una eſt, & uno modo ſe habet.

Quid ſecunda?

℞. Secunda poteſt eſſe multiplex, non ſolum quia cauſſæ multæ ſunt, ſingulæque ad definiendum valent; ſed etiam quia definitiones alias una-

(9) De hoc poſtremo definiendi genere Quinctilianus lib. 7. c. 4. *An ſi non dixero, homo eſt animal rationale mortale, non potero expoſitis animi corporiſque proprietatibus, latius oratione ducta, vel a mutis eum diſtinguere, vel a Diis?*

Digitized by Google

naquæque in ſocietatem trahit. Nam cum cauſſæ ſint quatuor, materia, forma, efficiens, & finis; ad duas priores revocantur illæ omnes, quæ fiunt per partes rem conſtituentes, ut cum homo dicitur *ſubſtantia conſtans ex mente & corpore* (10). Ad efficientem referuntur definitiones per rei inſtrumenta conflatæ; ut cum eloquentia definitur *facultas dicendi ſtudio & exercitatione comparata* (11). Denique ad finem revocantur illæ omnes, quæ ab uſu & officio ducuntur: ut cum dico, *juſtitiam eſſe, quæ dat unicuique ſuum* (12).

Quid tertia?

℟. Hæc definiendi forma variatur, ſi variæ ſint rei proprietates nobis manifeſtæ. Huc pertinent definitiones virtutum ac vitiorum, artium ac diſcipli-

(10) Definitio hujuſmodi æquiparatur primæ; quia materia & forma rei naturam & eſſentiam conſtituunt; & materia quidem tenet locum generis, forma differentiæ. Et quia partes rei, quoquo modo ſe habeant, ſunt veluti materia ejus; huc revocantur definitiones illæ per partitionem & diviſionem, quas Cicero explicat in Top. c. 5. *Definitiones aliæ ſunt partitionum, aliæ diviſionum; partitionum, cum res, quæ propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur, ut ſi quis jus civile dicat id eſſe, quod in legibus, Senatuſconſultis, rebus judicatis, juriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more & æquitate conſiſtit. Diviſionum autem definitio formas complectitur omnes, quæ ſub eo genere ſunt*, &c.

(11) Per inſtrumenta efficientia beatitudinis eam definit Martialis l. 10. ep. 47. *Vitam quæ faciunt beatiorem*, &c.

(12) Ad uſum & officium referuntur effecta & ſigna quælibet; ut cum Orator definitur a Cic. lib. 1. de Oratore c. 15. *Qui, quæcumque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter & copioſe, & ornate, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate.*

Digitized by Google

ſciplinarum, quæ per attributiones cuique proprias inſtituuntur. Eodem referuntur definitiones relatorum, quorum ea princeps proprietas eſt, ut per ſe invicem cognoſcantur & definiantur: ut cum Dominus dicitur *is, cui eſt ſervus; ſervus is, cui eſt Dominus* (13).

Quid quarta?

℞. Hæc vero latiſſime patet, cum ſit deſcriptio potius, delineatio, & adumbratio quædam, quam vera & germana definitio. Itaque huc pertinet quælibet oratio, quæ valet ad rem explicandam (14).

Quarta hæc definiendi forma poteſt ne certis capitibus coerceri?

℞. Vix poteſt. Princeps modus eſt, qui fit per congeriem multarum affectionum; quarum quidem magis communes primo loco ponuntur, ac veluti genus conſtituunt; magis propriæ ac peculiares differentiæ locum tenent (15).

Se-

(13) Inter relatorum definitiones illas quoque ponimus, cum abſtracta per concreta, & concreta per abſtracta definiuntur. Itaque injuria reprehenditur definitio qualitatis, quam affert Ariſtoteles Categor. c. 8. *Qualitatem dico, per quam aliqui dicuntur quales*. Scilicet hac in re concretum notius eſt abſtracto; ideoque ad illud explicandum valet.

(14) Cicero in Part. c. 12. *Definitio genere declaratur & proprietate quadam; aut etiam communium frequentia, ex quibus, proprium quid ſit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque magna diſſenſio, definiendum eſt ſæpe ex contrariis, ſæpe etiam ex diſſimilibus, ſæpe ex paribus.*

(15) Exempli loco poteſt eſſe deſcriptio Polyphemi apud Vir-

Secundus modus eſt per ſimilitudinem & diſſimilitudinem, quo modo Cicero in Orat. pro Murena definit militem & Juriſconſultum; & ex alterius ab altero differentia utriuſque naturam aperit.

Tertius per exemplum, ut cum definimus ponentes aliquid exempli loco: v. gr. *corpus eſt ut lapis*; *qualitas eſt ut color* (16).

Quartus per metaphoram & analogiam; qui modus eſt frequentiſſimus præſertim apud Poetas. Ita Mors definitur ab Horatio lib. 1. ep. 16. *Ultima linea rerum*: Somnus ab Ovidio lib. 1. Amor. Eleg. 9. *Mortis imago*.

Quintus per antonomaſiam: ut cum Horatius lib. 1. Epiſt. 2. dicit *Trojani belli ſcriptorem*, ſignificans Homerum (17).

Sextus per contrarium, quoties contrarium eſt notius. Ita virtus definitur ab Horatio l. 1. ep. 1. *Virtus eſt vitium fugere* (18).

Septi-

Virgilium Æn. 3. v. 658.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum;
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

(16) Definitio per exemplum reprehenditur a Socrate apud Platonem in Dialogo de ſcientia. Vulgus hoc ferme pacto res explicare ſolet, quod non eſt ex dignitate Philoſophi.

(17) Huc refertur deſcriptio quævis per periphraſim; cujuſmodi eſt illa Perſii initio ſatyræ 4. ubi Socratem vocat *barbatum magiſtrum, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.*

(18) Eadem ratione purus locus definitur ab Ulpiano in lib. Dig. xi. t. 7. l. 2. *qui neque ſacer, neque ſanctus, neque religioſus eſt*. Optimates a Cicerone pro Sext. c. 45. *Qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti*. Quamquam duo hæc exempla referri etiam poſſunt ad modum definiendi per negationem.

Digitized by Google

Septimus per negationem: qua ratione definiri ſolent perfectiſſima & imperfectiſſima. Nam cum extremi iſti gradus in notiones noſtras non cadant, magis dici poteſt, quid non ſint, quam quid ſint (19).

Quænam ſunt rectæ definitionis regulæ?

℞. Tria ſunt obſervanda in definitione plena & perfecta. Primum eſt, ne definitio ſit anguſtior, aut amplior re definita, ſed cum illa reciprocetur; ex. gr. *quiſquis eſt homo, ſit animal rationale: quidquid eſt animal rationale, ſit homo* (20).

Secundum, quod oritur ex primo, ut preſſa & brevis ſit, modo non deficiant neceſſaria. Hoc ſit

(19) Exemplum perfectiſſimi ſit definitio Dei, quæ eſt apud Auguſt. in Pſ. 85. *Terram cogitas? Non eſt hoc Deus. Mare cogitas? Non eſt hoc Deus. Omnia, quæ ſunt in mari, quæ volant per aerem? Non eſt hoc Deus. Quidquid lucet in cœlo, ſtellæ, ſol, & luna? Non eſt hoc Deus. Angelos cogitas? Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes? Non eſt hoc Deus. Et quid eſt? Hoc ſolum dicere potui, quid non ſit*. Exemplum imperfectiſſimi ſit definitio materiæ primæ, quæ affertur ab Ariſtotele lib. 7. Metaph. cap. 3. *Materiam voco, quæ ipſa per ſe, neque quid, neque quantum, neque aliud quippiam dicitur definitum & abſolutum*. Ideſt materia nihil eſt eorum, quæ ex ipſa fiunt. Hanc in rem D. Thomas P. 1. q. 33. a. 4. *Prima & ſimplicia per negationem notificantur; ſicut dicimus, punctum eſſe, cujus pars non eſt*.

(20) Id fiet, ſi *vis ejus rei, quam definias, ita exprimatur, ut neque abſit quidquam, neque ſuperſit*, ut ait Cicero in lib. 2. de Orat. c. 25. & quod Zeno in re alia, ſi ſit manus una atque eadem, quæ compreſſa rem definitam ſignificet, explicata definitionem.

Digitized by Google

ſit proximo genere adhibito, & propria differentia (21).

Tertium, ut fiat per clariora & notiora, quam ſit res definita. Ignotum enim per ignotum non manifeſtatur (22).

Ex his porro regulis formant ſibi Logici Definitionis definitionem, quæ eſt hujuſmodi: *Oratio conſtans ex genere, & differentia, per quam reſpondetur interroganti, quid res ſit.*

Oſtende quomodo præcepta hæc ad uſum ducantur.

℞. Habes a Cicerone Topic. cap. 6. Cum ſumſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum

(21) Conditio hæc locum non habet in qualibet definitione, ſed in Logica dumtaxat, & quidem propria atque perfecta, quæ a Græcis dicitur οὐσιώδης. Hinc Cicero in Orat. cap. 33. *Erit hæc facultas in eo, quem volumus eſſe eloquentem, ut definire rem poſſit; neque id faciat tam preſſe & anguſte, quam in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet.* Porro ad genus quod attinet, iccirco remotum eſt ineptum, quia ſuperiora non comprehendunt inferiora; proximum eſt idoneum, quia in eo ſuperiora continentur.

(22) Hac in parte peccant, qui definiunt per verba inuſitata, obſoleta, nova, ambigua, tranſlata: niſi forte tranſlata ſint notiora & nitidiora propriis; quod interdum contingit. Ex hoc præcepto veterem teſtudinis definitionem reprehendit Cicero de Divin. lib. 2. cap. 64. *Tardigrada, herbigrada, domiporta, ſanguinecaſſa.* Ceterum definitio (ut docet Ariſtoteles lib. 1. Phyſ. t. 5.) non debet eſſe clarior, quam res definita, cuilibet indocto, qui artium formulas non tenet, & res percipit dumtaxat cognitione quadam confuſa. Nam vulgus magis intelligit, quid ſit *homo*, quam quid ſit *animal rationale*; magis quid ſit *motus*, quam quid ſit *actus entis in potentia prout in potentia.*

Digitized by Google

cum aliis communia, uſque eo perſequare, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit: ut ſi hæreditatem definias, dic primum, *Hæreditas eſt pecunia*. Sed commune adhuc: multa enim genera pecuniæ ſunt. Adde, *quæ morte alicujus ad quempiam pervenit*. Nondum eſt definitio: multis enim modis ſine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Unum adde verbum *jure*; jam a communitate res disjuncta videbitur, ut ſit explicata definitio ſic: *Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure*. Nondum eſt ſatis; quia latius patet, quam oporteat: adde, *nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta*, confectum eſt.

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE DIVISIONE.

Quid eſt Diviſio?

℟. EST totius in partes diſtributio.

Quotuplex eſt totum?

℟. Duplex. Primum eſt *Logicum*, ſeu univerſale, quod proprio nomine dicitur *omne*; ſecundum eſt *Phyſicum*, ſeu ſingulare, quod proprie *totum* vocatur (1). *Logicum* habet partes ſibi ſubjectas, quas poteſtate quadam continet; ut *animal*, quod dividitur in *hominem*, & *belluam*. Atque hæc quidem *diviſio* proprie nuncupatur, & ad Logicos pertinet. Totum *Phyſicum* habet partes, ex quibus re ipſa componitur: quæ partes vel ad ſubſtantiam ejus pertinent, ut cum *homo* dicitur conſtare ex *mente*, & *corpore*; vel ad quantitatem, ut cum idem dicitur conſtare ex *capite*, *ventre*, & *pe-*

di-

(1) Alii totum ſubtilius dividunt in *Logicum*, *Metaphyſicum*, *Phyſicum*, & *Mathematicum*. *Logicum* dicitur notio univerſalis, quæ alias ſibi ſubjectas continet, ut Genus. *Metaphyſicum* dicitur quidquid conſtat genere & differentia, hoc eſt parte communi, & parte propria. *Phyſicum* dicitur, quod partibus conſtat coeuntibus ad naturam unam efficiendam, cujuſmodi eſt compoſitum quodlibet ex materia & forma. *Mathematicum* eſt, quod habet partes extra partes, quarum alia ab aliis ſeparari poteſt; quod dici ſolet a Scholaſticis *totum integrale*, vel *quantitativum*.

Digitized by Google

dibus. Hæc proprio nomine *partitio* nominatur; & rerum ſcriptoribus eſt familiaris (2).

Cedo mihi diſcrimina omnia inter Totum Logicum, & Phyſicum.

℞. Tria ſunt. Primo enim in eo differunt, quod *toto* Logico ſublato, ejus quoque partes ſtatim tolluntur; nam ſublato *animali*, nec homo, nec bellua eſt: at ſublato *toto* Phyſico, partes remanent; ſiquidem everſa domo, remanent ſaxa, & ligna, ex quibus componebatur (3). Secundo differunt, quia ad *totius* Logici integritatem ſatis eſt pars una; nam, ſi ſit homo, erit *animal*, etiamſi belluæ omnes pereant: at in *toto* Phyſico partes omnes requiruntur; ſiquidem domus dici nequit, niſi & fundamentum, & parietes, & tectum ſit. Tertio differunt, quod *totum* Logicum vere ac proprie de ſingulis partibus enunciatur; nam *homo* dicitur *animal*; *equus* dicitur *animal*; *canis* dicitur *animal*: at Phyſicum de ſingulis partibus dici non poteſt; neque enim fundamentum dicitur *domus* (4).

Quot

(2) Cicero in Topic. cap. 7. *In partitione quaſi membra ſunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cetera. In diviſione formæ ſunt, quas Græci ἰδέας vocant; noſtri, ſiqui forte hæc tractant, ſpecies appellant.* Quinctilianus lib. 7. cap. 1. *Sit igitur diviſio rerum plurium in ſingulas, partitio ſingularum in partes diſcretus ordo.*

(3) Partes quatenus partes, ſublato toto phyſico pereunt. Siquidem partium ratio & natura earum officio continetur. Itaque ſi non eſt totum, neque partes totius eſſe poſſunt. Remanet tamen id, quod partis loco erat.

(4) Id verum eſt in partibus natura diverſis, quas *hetero-*

Quot ſunt modi Logicæ diviſionis?

℞. Cum *totum* Logicum trifariam dividi poſſit, tres ſunt diviſionis Logicæ modi. Primus eſt generis in ſuas ſpecies; ut cum ſubſtantia dividitur in *corpus*, & *ſpiritum*. Secundus ſubjecti in ſua accidentia, ut cum corpus dicitur *moveri*, vel *quieſcere*. Tertius accidentis in ſua ſubjecta, ut cum *bona* dicuntur alia eſſe *animi*, alia *corporis* (5).

Nonne Dialectici præterea dividunt genus in differentias?

℞. Quidam dividunt genus in differentias, v. gr. *ſubſtantiam* in *cogitantem*, & *extenſam*. Sed revera genus per differentias, non in differentias divi-

rogeneas Scholæ vocant: at ſi partes ſint *homogeneæ*, h. e. unius & ejuſdem rationis, etiam *totum* Phyſicum de ſuis partibus enunciatur; nam quælibet pars aquæ dicitur aqua; quælibet pars terræ terra nuncupatur. Ceterum regulæ ratio colligi poteſt ex eo, quod ſcribit Clemens Alexandrinus lib. 8. Strom. p. m. 780. τὸ εἶδος ἀεὶ ἔν τινι μέρει θεωρεῖται. οὐ μὴν ἀνάπαλιν, εἴ τι μέρος ἐστί τινος, τοῦτο καὶ εἶδος γενήσεται· ἡ γὰρ χεὶρ μέρος μέν ἐστι τοῦ ἀνθρώπου, εἶδος δὲ οὐκ ἔστιν· καὶ τὸ μὲν γένος ἐν τοῖς εἴδεσιν ἐνυπάρχει· τὸ γὰρ ζῶον καὶ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ τῷ βοΐ· τὸ δὲ ὅλον ἐν τοῖς μέρεσιν οὐκ ἐνυπάρχει. *Species ſemper in aliqua parte conſideratur. Non tamen contra, ſi quid eſt pars alicujus, hoc erit etiam ſpecies. Manus enim eſt pars quidem hominis, non autem ſpecies. Et genus quidem ineſt ſpeciebus; animal enim ineſt homini & bovi: totum autem non ineſt partibus.*

(5) Quæ nos ex Scholarum more *accidentia* dicimus, alii vocant *adjuncta*, alii *attributa*: verba diverſa, ſenſus idem. Nonnulli addunt quartum diviſionis modum, dividentes *accidens* in *accidentia*, ut *colorem* in *album* & *nigrum*: ſed hæc eſt diviſio generis in ſpecies.

Digitized by Google

viditur. Diviſio enim generis fit in ſpecies; quæ ſpecies conſtituuntur & diſtinguuntur inter ſe per differentias.

Nonne etiam vocem in ſua ſignificata dividere ſolent?

℞. Sunt qui hoc quoque diviſionis genus afferant, per quam vox ambigua in ſuas ſignificationes diſtinguitur. Sed hæc diſtinctio quædam eſt, non diviſio; ac proinde ad definitionem potius pertinet, quæ nominis dicitur (6).

Quot ſunt rectæ diviſionis regulæ?

℞. Quatuor. Prima eſt, ne diviſio fiat in partes pauciores, aut plures, quam oporteat; quia partes debent æquare totum (7). Secunda, ut pars una aliam non includat. Itaque peccat, qui ita dividit, ut eſt in lib. 2. ad Herenn. c. 21. *Tres ſunt res, quæ omnes homines ſollicitant, metus, cupiditas, ægritudo.* Nam *ægritudo* cum *metu* & *cupiditate* conjungitur: eſtque prorſus idem, ac ſi diceretur Gallia dividi in Ciſalpinam, Tranſalpinam, & Euro-

(6) Hac uſus eſt Ariſtoteles in cap. ult. Categor. de modis τοῦ ἔχειν, ut Categoriam, quæ dicitur *habitus*, ab ambiguitate liberaret. Ceterum Alcinous quoque, nedum alii, inter diviſionis ſpecies diſtinctionem retulit, in cap. 5. Inſtit. ad doctrinam Platonis.

(7) Huc pertinet illud Ciceronis in Orat. cap. 33. *Idem etiam, cum res poſtulabit, genus univerſum in ſpecies certas, ut nulla neque prætermittatur, neque redundet, partietur ac dividet.* Hæc ad diviſionem. Partitionis regula eſt, ne in nimias partes fiat. Nam, ut monet Seneca ep. 89. *Simile confuſo eſt, quidquid uſque in pulverem ſectum eſt.*

Digitized by Google

ropæam. Tertia, ut diviſio gradatim procedat. Itaque non recte dividitur *vivens* in *plantam*, *hominem*, & *belluam*; ſed diviſio inſtituenda eſt per membra proxima hoc ferme pacto: *vivens* vel ſenſu caret, ut *planta*; vel ſenſum habet, ut *animal*: rurſus *animal* vel eſt rationis particeps, ut *homo*, vel expers, ut *bellua* (8).

(8) Contra hanc regulam peccavit Epicurus (ut colligitur ex Cicerone lib. 2. de Fin. cap. 9.) cum tria genera fecit cupiditatum, *naturales & neceſſarias*, *naturales & non neceſſarias*, *nec naturales nec neceſſarias*. Si dixiſſet cupiditatum eſſe genera duo, *naturales*, *& non naturales*; naturalium item duo, *neceſſarias*, *& non neceſſarias*, recte diviſiſſet.

CAPUT VII.

DE VOCUM PROPRIETATIBUS.

Quænam ſunt præcipuæ vocum proprietates?

℞. MUltæ numerantur in ſcholis, ſed una videtur neceſſaria, vel minus otioſa, quæ vulgo *ſuppoſitio* dicitur. In hac mirum in modum ſibi placent Scholaſtici diſputatores, omneſque ingenii ſui vires explicant. Nos curabimus ne quid nimis (1).

(1) Picus Mirandulanus ad Thomam Fil. epiſt. antepenult. lib. 4. *Quotuſquiſque non pavore conſternetur, non horrore*

Quid eſt ſuppoſitio?

℞. Eſt certa quædam vocis acceptio, atque uſurpatio (2).

Quotuplex eſt?

℞. Suppoſitionis diviſio quadruplex eſt. Ac primo quidem univerſe ſuppoſitio dividitur in *materialem*, & *formalem*. Secundo *formalis* dividitur in *propriam*, & *impropriam*. Tertio *propria* dividitur in *ſingularem*, & *communem*. Quarto *communis* dividitur in *disjunctivam*, *collectivam*, & *diſtributivam*. Verba minus nitida ſunt, ſed ſolemnia & loci propria.

Quid eſt ſuppoſitio materialis & formalis?

℞. Suppoſitio *materialis* eſt, cum vox accipitur pro materia, ex qua componitur; ut cum dico: *mus eſt ſyllaba*. *Formalis*, cum vox ſumitur pro re, quæ per vocem ſignificatur; ut cum dico: *mus eſt animal* (3).

Quid

rore diffugiat, ſi primum in ſcholas aditum ferens audiat: terminus eſt ſignum orationis conſtitutivum, ut pars propinqua ejuſdem? *quis etiam valentior aliquanto progreſſus non remoretur modo, ſed & pedem referat, cum terminorum* ſuppoſitiones *vel de longinquo ſubodoraverit?* Huc maxime pertinet illud Æſchyli apud Stobæum ſerm. I. Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς, σοφός. *Qui utilia novit, non qui multa, ſapiens eſt.*

(2) *Suppoſitio* longe aliud ſignificat apud Latinos ſcriptores. Itaque non eſt vox publica, ſed Dialecticorum propria.

(3) Seneca epiſt. 48. *Mus ſyllaba eſt; mus autem caſeum ro-*

Quid eſt ſuppoſitio propria & impropria?

℞. *Propria* eſt, cum vox accipitur pro ſignificatione propria & germana; ut cum dico: *lupus eſt quadrupes*. *Impropria*, cum vox a propria ſignificatione ad figuratam traducitur; ut cum dico: *homo homini lupus*.

Quid eſt ſingularis & communis?

℞. *Singularis* ſuppoſitio eſt, cum vox accipitur pro re una duntaxat; ut cum dico: *Pater meus eſt ſenex*. *Communis* eſt, cum vox ſumitur pro pluribus; ut cum dico: *ſenex eſt moroſus*. Vides, vocem *ſenex* in primo exemplo uni tantum tribui, in ſecundo longe plurimis.

Quid eſt disjunctiva, collectiva, & diſtributiva?

℞. *Disjunctiva* eſt, cum vox communis uſurpatur pro aliqua parte tantum ex iis, quas ſuæ ſignificationis ambitu comprehendit; ut cum dico: *homo eſt albus*: nam aliqui dumtaxat homines ſunt albi. *Collectiva* eſt, cum vox communis ſumitur pro omnibus ſuis partibus ſimul conjunctis; ut cum dico: *Apoſtoli ſunt duodecim*. *Diſtributiva* eſt,

rodit; ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſolvere: quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum? Sine dubio verendum eſt, ne quando in muſcipula ſyllabas capiam; aut ne quando, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. Niſi forte acutior eſt illa collectio: Mus ſyllaba eſt; ſyllaba autem caſeum non rodit; mus ergo caſeum non rodit.

cum vox communis ſumitur pro omnibus ſuis partibus, reſpondetque ſingulis, atque univerſis; ut cum dico: *homo conſtat ex anima & corpore*: nam & homo quiſque, & omnes homines ſunt hujuſmodi.

Quænam eſt ſuppoſitio ſubjecti in enunciatione?

℞. In enunciatione ſi prædicatum conveniat ſubjecto tamquam ejus eſſentia, vel proprietas neceſſaria, ſuppoſitio ſubjecti *diſtributiva* erit; ut cum dico: *homo eſt animal rationale*, vel *homo eſt animal ridendi capax*. Si conveniat tamquam modus, ſeu affectio fortuita, erit *disjunctiva;* ut cum dico: *homo eſt doctus*. Si demum conveniat toti ſubjecto, & omnibus ejus partibus ſimul acceptis: non tamen ſingulis, erit *collectiva*; ut cum dico: *Planetæ ſunt ſeptem*: omnes enim ſimul ſunt ſeptem, at quilibet eorum non eſt ſeptem (4).

Quænam eſt ſuppoſitio prædicati?

℞. In enunciatione negante cum prædicatum prorſus removeatur a ſubjecto, ejus ſuppoſitio eſt *diſtributiva*. In ajente ſuppoſitio prædicati eſt *disjunctiva*, quia pro parte tantum accipitur, etiamſi enunciatio ſit univerſalis; ut cum dico: *omnis circu-*

(4) Si quis nolit ad prædicatum cogitationem referre, poteſt ſecum ipſe reputare, num ſubjecto conveniat vox ſyncategorematica *aliquis*, an *omnis*, an *omnes ſimul:* ſi convenit *aliquis*, ſuppoſitio disjunctiva eſt; *ſi omnis*, eſt diſtributiva; *ſi omnes ſimul*, eſt collectiva.

Digitized by Google

culus eſt figura: eſt enim figura quædam, non omnis (5).

(5) In ajente quoque ſuppoſitio erit diſtributiva, ſi prædicatum cum ſubjecto reciprocetur; ut ſi dicam, *homo eſt ridendi & admirandi capax*; quia omnis ridendi & admirandi capax, eſt homo.

Digitized by Google

PARS SECUNDA

DE ENUNCIATIONE.

CAPUT I.

DE ENUNCIATIONIS NATURA (1).

Quid eſt Enunciatio?

℞. EXplicatis notionibus, quæ ſimplici *Perceptione* tenentur; nunc videndum eſt, quomodo notiones ipſæ verbo conjungantur per *Enunciationem*. Eſt autem *Enunciatio* nihil aliud, quam oratio, quæ aliquid de aliquo enunciat ajendo, aut negando: ut cum dico, *ſol lucet*, *luna non lucet; Deus eſt juſtus*, *Deus non eſt mendax* (2).

Non-

(1) Cum in Categoriis explicuiſſet Ariſtoteles notiones; in lib. περὶ ἑρμηνείας, qui proxime ſequitur, agit de enunciationibus. Vulgo inſcribitur *de Interpretatione*, nos inſcribimus de *Enunciandi ratione*. Nam & Clemens Alexandrinus in lib. 8. Strom. p. m. 779. *ſermones enunciativos* vocat ἑρμηνευτικοὺς λόγους.

(2) Quæ a nobis *Enunciatio* dicitur, Græce ἀπόφανσις, vulgo appellatur *propoſitio*. Sed vox hæc, cui πρότασις reſpondet apud Græcos, non recte adhibetur, niſi cum refertur ad Syllogiſmum, & ſignificat partem illam antecedentis, ex qua vis manat ratiocinationis. Error tamen recens non eſt. Nam Apulejus ita ſcribit de hab. doct. Platon. lib. 3. *Sergius vocat effatum*, *Varro proloquium*, *Cicero enunciatum*, *Græci*

tum

Digitized by Google

Nonne etiam judicium dicitur?

℟. Utique. Nam cum enunciamus, *Deum eſſe juſtum*, judicamus juſtitiam Deo convenire: cum enunciamus, *Deum non eſſe mendacem*, judicamus, mendacium Deo tribui non poſſe (3).

Quibus partibus conſtat enunciatio?

℟. Tribus, ſubjecto, prædicato, & verbo: quæ quid ſint diximus in Par. 1. de nom. divis. Illud nunc ex Ariſtotelis doctrina adjicimus, verbum omne vel ſignificare ſubſtantiam, vel ſubſtantiam ſimul & modum. Si ſubſtantiam ſolam ſignificet, enunciatio dicitur *de ſecundo adjacente*: ut hæc, *Ego ſum*. Quamvis enim idem valeat atque, *Ego ſum exiſtens*; attamen ita loqui non ſolemus. Si verbum ſignificet ſubſtantiam & modum, dicitur *de tertio adjacente*; ut hæc, *Ego cogito, vel Ego ſum cogitans* (4).

tum protaſim, tum axioma. ego verbum e verbo tum protenſionem, tum rogamentum. Familiarius tamen dicitur propoſitio.

(3) Quia enunciatum quodlibet *judicium* eſt, iccirco Stoici enunciata vocabant *axiomata*, a græco ἀξιόομαι. Cicero Acad. 4. c. 29. *Fundamentum Dialecticæ eſt, quidquid enuncietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod eſt quaſi effatum) aut verum eſſe, aut falſum.* Tria igitur apud Stoicos ſunt conjugata, πρᾶγμα, φωνὴ, λεκτὸν, *res, vox, effatum*. Veritatem & falſitatem, non rei aut voci convenire dicunt, ſed ſoli *effato*, & quidem *effato perfecto*, λεκτῷ αὐτοτελεῖ, quod *axioma* vocant.

(4) Etiam pronomen reticeri poteſt, ut ſi dicam, *Cogito*. Non cenſetur tamen abeſſe, quia menti ineſt. V. lib. de Enunc. rat. c. 10. & Poſter. Analyt. l. 1. t. 33. Hinc porro col-

In Enunciatione quinam eſt locus ſubjecti, & quinam prædicati?

℞. Naturæ ordo poſtulat, ut prius ſubjectum, deinde prædicatum ponatur. Quemcumque locum occupent, id, de quo alterum enunciatur, ſubjectum eſt; quod enunciatur, eſt prædicatum: ut cum dico, *Omnia vincit amor*; *amor* ſubjectum eſt, *omnia* prædicatum.

Omnis oratio, quæ verbo & nomine conſtat, eſt ne enunciatio?

℞. Minime: ſed ea dumtaxat, quæ ait, aut negat. Itaque orationes, quæ per verba infinita efferuntur, quæque aut petunt, aut promittunt, aut imperant, enunciationes dici nequeunt. Siquidem nihil enunciant; ideoque nec verum, nec falſum capiunt (5).

colligi poteſt, cujuslibet enunciationis unam & unicam copulam eſſe verbum ſubſtantivum. Proinde, ſi qua ſit implicata & obſcura, per verbum hoc in ſuas partes ſolvitur & expeditur.

(5) Cum veteres Dialectici diſputarent interrogando, oratio enuncians dicebatur ἐρώτημα, quælibet alia πύσμα: primæ reſpondebatur per ναὶ, vel οὔ; reliquis longiore ſermone. Stoici quoque excludebant a ſuis axiomatis juſſa, interrogationes, precationes, exſecrationes, quæ nullum judicium continent, & ſimpliciter λεκτὰ dicuntur; cum axioma ſit λεκτὸν αὐτοτελές. Priſcianus lib. 8. *Sciendum, quod has quidem conſtructiones, quæ per nominativum abſolvuntur, Stoici* ἀξιώματα, vel *συμβάματα vocant, ideſt dignitates*, vel *congruitates, ut* APOLLONIUS AMBULAT. Vide Sextum Empir. l. 2. adverſ. Logic. n. 77.

CA-

CAPUT II.

DE ENUNCIATIONIS PARTIBUS.

Enunciatio quomodo dividitur?

℞. Biſariam dividitur, ideſt ratione formæ, & ratione materiæ (1).

Quomodo dividitur ratione materiæ?

℞. Si materia enunciationis ſpectetur, tres ſunt ejus ſpecies: alia enim enunciatio *ſimplex* eſt, alia *complexa*, alia *compoſita*. *Simplex* dicitur, quæ ſimplicibus terminis conſtat, ut hæc: *Deus eſt juſtus*. *Complexa*, cujus termini complexi ſunt, ideſt aliam quamdam enunciationem complectuntur, quæ dicitur *Incidens*; ut hæc apud Terentium in Phorm. act. 1. ſc. 1. *Inique comparatum eſt, ut ii, qui minus habent, ſemper aliquid addant divitioribus*. *Incidens* conſtat verbis illis, *qui minus habent*. *Compoſita* demum ea eſt, quæ multiplici ſubjecto, aut prædicato conſtat. Hæc autem compoſitio vel manifeſta eſt, quæ enunciationem *explicitam* facit; vel abdita, & paullo obſcurior, quæ facit enuncia-

(1) Modum adhibebimus hac in parte, quæ ceteroquin apud vulgares Dialecticos infinita eſt. De his Canus lib. 8. Loc. Theol. c. 1. *Non intelligo, quid cauſſæ fuerit viris doctis, ut ſub Dialecticæ nomine exponibiles, obligationes, inſolubiles, reflexivas, aliave id genus monſtra in ſcholam intulerint*.

Digitized by Google

ciationem *implicitam*, ſeu *exponibilem*, ut turba Logicorum appellat (1).

Incidens falſa contaminatne totam enunciationem?

℞. Enunciatio incidens interdum ad majorem quandam explicationem & ornatum adhibetur. Interdum autem ſubjectum totius orationis afficit, & modo quodam coercet, ut cum dico: *Ille, qui ex Deo non eſt, verba Dei non audit*. Hæc ſi falſa ſit, totam enunciationem complexam contaminat; illa non item (2).

Quot ſunt explicitæ enunciationis ſpecies?

℞. Sex. Prima *Conjuncta*, cujus membra per particulas *&* vel *nec* conjunguntur, ex. gr. *Ariſtoteles eſt Philoſophus, & Princeps Philoſophorum*: *Ariſtoteles nec Philoſophus eſt, nec Princeps Philoſophorum*.

(1) Incidens enunciatio habet locum etiam in ſimplici notione. En tibi circuli notio, in quam incidit enunciatio, quæ perfectam ejus rotunditatem effatur: *Figura plana, cujus extremitas paribus a medio radiis attingitur*. Plures etiam in qualibet enunciatione complexa poſſunt eſſe Incidentes: ut ſi dicam, *Tum illi, qui ſapiunt, tum qui deſipiunt; tum illi qui ſunt nobiles, tum qui ſunt ignobiles, ſine diſcrimine mori debent*.

(2) Ecce tibi exemplum enunciationis incidentis, quæ nihil efficit, ſive vera, ſive falſa ſit, apud Catullum carm. 68.

Atqui non ſolum hoc ſe dicit cognitum habere
Brixia, Chineæ ſuppoſita ſpeculæ,
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia Veronæ mater amata meæ.

Digitized by Google

rum. Ut tale pronunciatum verum ſit, utraque pars debet eſſe vera (3).

Secunda *disjuncta*, cujus membra disjunguntur per particulas *vel*, *aut*, hiſque ſimiles; ex. gr. *quodlibet animal aut mas eſt, aut femina*. In hac partes debent eſſe repugnantes; ideoque una tantum vera eſt (4).

Tertia *hypothetica*, cujus membra copulantur per particulam *ſi*; ex. gr. *Si mundus providentia regitur, Deus eſt* (5). Hujus veritas non pendet ex veritate partium, ſed ex recta conjunctione, & conſecutione. Porro prima pars, quæ regitur a particula *ſi*, dicitur *antecedens*; altera *conſequens*, quocumque loco ponatur. Nam interdum orationis ordo præpoſterus eſt, ut in Horat. lib. 1. ep. 3.

Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus, & ampli;
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari (6).

Quar-

(3) Gellius lib. 16. c. 8. *In omni conjuncto, ſi unum eſt mendacium, etiamſi cetera vera ſunt, totum eſſe mendacium dicitur*. Ceterum ne mireris, quod diximus, particulam *nec* habere vim conjungendi. Valet enim *& non*.

(4) Gellius ibidem. *Eſt item aliud, quod Græci διεζευγμένον ἀξίωμα, nos disjunctum dicimus. Id hujuſmodi eſt*: Aut malum eſt voluptas, aut bonum, aut neque bonum, neque malum eſt. *Omnia autem, quæ disjunguntur, pugnantia eſſe inter ſeſe oportet*. Cicero Top. c. 14. *In disjunctione plus uno verum eſſe non poteſt*.

(5) Hanc Apulejus & Scholaſtici vocant *Conditionalem*. Porro non per ſolam particulam *ſi* fit enunciatum hypotheticum, ſed etiam per *cum*, *dum*, & alias, quæ idem valent. Hujuſmodi eſt illud Martialis lib. 2. ep. 64.

Dum, quid ſis, dubitas, jam potes eſſe nihil.

(6) Siquis velit enunciationi huic, & duabus ſuperioribus contradicere, ita collocare debet particulam *non*, ut con-

Quarta *Cauſſalis*, ut eam vocant, cujus membra colligantur per particulas ſignificantes cauſſam; ex. gr. *Vitia noſtra quia amamus, defendimus*.

Quinta *diſcreta*, quæ diverſa judicia continet, atque exprimit per particulas adverſantes; ex. gr. *mendaci, quamvis juret, credendum non eſt*.

Sexta *relata*, cujus una pars refertur ad aliam, & ab ea vim ſumit; ex. gr. *Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca, tantum habet & fidei*. Juvenal. Sat. 3. (7)

Quot ſunt ſpecies enunciationis implicitæ?

℞. Quinque admodum numerantur in ſcholis, *excluſiva, exceptiva, comparativa, inceptiva, deſitiva*; quæ ſcilicet per particulas excludentes, excipientes, comparantes, incipientes, deſinentes, plura judicia complectuntur non omnibus manifeſta, niſi evolvantur (8).

Enun-

connexionem afficiat & infringat; Ex. gr. *Non ſi mundus providentia regitur, Deus eſt: Ariſtoteles non & Philoſophus eſt, & princeps Philoſophorum: Quodlibet animal non aut mas, aut femina eſt*.

(7) Tum huic, tum ſuperioribus enunciatis interdum ſimplici negatione contradicitur, interdum pluribus verbis opus eſt. Quacumque ratione fiat, curandum eſt, ut modus ipſe infringatur, qui naturam enunciati conſtituit, & ab aliis diſtinguit.

(8) Particulæ ipſæ non ſemper adſunt; ideoque magis ſenſus, quam verborum habenda ratio eſt, ut enunciationes iſtiuſmodi inter ſe diſtinguantur. Exemplum *inceptivæ, exceptivæ, & excluſivæ* habes in uno Perſii loco Sat. 5. v. 88.

Vindicta poſtquam meus a Prætore receſſi,
Cur mihi non liceat, juſſit quodcumque voluntas,
Excepto ſiquid Maſuri rubrica vetavit?

Digitized by Google

Enunciatio ratione formæ quomodo dividitur?

℞. Quemadmodum materia enunciationis eſt prædicatum & ſubjectum, ita forma ejus eſt prædicati cum ſubjecto conjunctio. Porro ratione formæ dividitur enunciatio in *neceſſariam*, *fortuitam*, *poſſibilem*, & *impoſſibilem*. *Neceſſaria* eſt, cujus termini neceſſario conjunguntur; ut cum dico: *circulus eſt rotundus*. *Fortuita*, cujus termini non neceſſario cohærent; ut cum dico: *paries eſt albus*. *Poſſibilis*, cujus termini poſſunt coaleſcere; ut cum dico: *tu eris Logicus*. *Impoſſibilis*, cujus termini conjungi nequeunt; ut ſi dicam: *equus eſt rationis & conſilii particeps*. Quamdiu autem enunciationes ita efferuntur, *abſoluta* vocantur: ſi vero modus ipſe, quo prædicatum ſubjecto convenit, exprimatur, dicuntur in ſcholis *modales*. Modi porro ſunt quatuor, *neceſſarium*, *fortuitum*, *poſſibile*, *impoſſibile*: de quibus ſubtilia multa pro ſæculi ſui more præcipit Ariſtoteles in lib. de Enunciandi rat. cap. 12. & 13. (8)

(8) Quod nos *fortuitum* diximus, Scholaſtici vocant *Contingens*. Hoc ipſum a veteribus Græcis appellatur δυνατὸν, *poſſibile*. Hinc ab his dicitur quæſtio περὶ δυνατῶν, *de poſſibilibus*, quæ a Scholaſticis dicitur *de futuris contingentibus*, a Cicerone *de Fato*.

CA-

CAPUT III.

DE ENUNCIATIONIS PROPRIETATIBUS.

Quænam ſunt Enunciationis proprietates?

℞. ALIÆ ſunt *ſimplices*, quæ ſingulas enunciationes afficiunt; aliæ *complexa*, quæ pluribus enunciationibus ſimul collatis conveniunt. *Simplices* ſunt *quantitas*, & *qualitas*. *Complexa* ſunt *oppoſitio*, *æquipollentia*, *converſio*.

Quid eſt quantitas Enunciationis?

℞. Eſt ejus extenſio, cujus menſura petitur a ſubjecto. Itaque ſi ſubjectum latiſſime pateat, & ſit univerſale, enunciatio erit *univerſalis;* ſi ſubjectum ſit particulare, *particularis* quoque enunciatio erit; ſi ſingulare ſubjectum ſit, enunciatio *ſingularis* erit. Subjectum porro univerſale eſt, cui accedunt termini ſyncategorematici univerſales, *omnis*, *nullus*; particulare, quod conjungitur cum particularibus, *quidam*, *aliquis*; ſingulare, quod exprimitur nomine proprio, vel ſibi adſciſcit articulum *hic*. Quod ſi ſubjectum indefinitum ſit, nulloque ſigno dignoſcatur, oportet ſignum apponere: ut ſiquis dicat, *ſenex eſt moroſus*, videndum eſt, num, appoſito ſigno *omnis*, recte habeat, & ſententiam ejus, qui dicit, proprie exprimat: ali-

ter

ter aſſumatur *quidam*, & rurſus expendatur, donec res in plano ſit (1).

Quid eſt qualitas enunciationis?

℟. Eſt ejus affirmatio, & negatio, quæ petitur a prædicato. Si enim prædicatum adjungitur ſubjecto, enunciatio affirmat; ſi removetur, enunciatio negat (2). Ex negatione autem, & affirmatio-

(1) Signum *omnis* interdum intenſionem rei, non extenſionem ſignificat; ideoque enunciationem non facit univerſalem; ut cum Terentius ſcribit Andr. 3. 2. *Omnis res eſt jam in vado*: ideſt tota hæc res, non res omnes. Aliquando etiam ad qualitatem refertur, ut apud Horatium l. 1. ep. 5. *Nec modica cœnare times olus omne patella*. Ideſt vulgare, qualecumque.

(2) *Negatio* a Cicerone dicitur etiam *negantia* Topic. cap. 14. a Græcis ἀπόφασις. Fit autem per particulam *non*, quæ id deſtruit, cui apponitur, ut ſcribit Ariſtoteles de Enunc. rat. cap. 10. & 14. itemque lib. 1. Prior. cap. 46. Itaque in enunciatis modo affectis, ſi præponatur modo, ejus vim infringit; v.gr. *Non eſt laudabile ſequi voluptates*: ſi poſtponatur, non afficit niſi verbum, quod conſequitur; v.gr. *Laudabile eſt non ſequi voluptates*: quod ſi apponatur non verbo, ſed nomini, tum vero non facit enunciationem negantem, ſed dumtaxat nomen ipſum ex finito reddit infinitum; v. gr. *Eſt non laudabile ſequi voluptates*.

Verbo *nego* Latini opponunt *ajo*; & enunciationi *neganti* opponunt *ajentem*. Quia tamen *ajo* mancum eſt, multiſque poſitionibus caret, abutimur *affirmo*, & *affirmatione*, vocibus non ſane aptis, ſed tamen neceſſariis. In quo tum uſum ſcholarum ſequimur, tum etiam Boethii auctoritatem, qualiſcumque ea ſit. *Affirmatio* a Martiano Capella l. 4. dicitur *ajentia*, Græce κατάφασις. Ab eodem enunciatio ajens dicitur *dedicativa*, negans dicitur *abdicativa*. Eodem modo loquitur Apulejus de habit. doctr. Platon. l. 3. *Aliæ dedicativæ ſunt, quod dedicant aliquid de quopiam, ut virtus bonum eſt;*

Digitized by Google

tione oritur veritas, & falſitas. Nam ſi prædicatum adjungitur ſubjecto, cui revera convenit, aut removetur a ſubjecto, cui repugnat, enunciatio vera eſt; ſin contra, falſa (3).

Quantitas, & qualitas enunciationis poſſuntne ſimul coaleſcere?

℞. Coeunt ſane; & ex hac conjunctione oritur quadruplex enunciationum genus: *univerſalis ajens*, quæ exprimitur per litteram A, ut *omnis homo eſt juſtus*: *univerſalis negans*, quæ exprimitur per litteram E, ut *nullus homo eſt juſtus*: *particularis ajens*, quæ deſignatur per litteram I, ut *aliquis homo eſt juſtus*: *particularis negans*, quæ deſignatur per litteram O, ut *aliquis homo non eſt juſtus*. Quæ memoriæ gratia verſiculis duobus comprehenduntur in ſchola tritis:

Aſſerit A, *negat* E, *verum generaliter ambo*.
Aſſerit I, *negat* O, *ſed particulariter ambo*.

Quid eſt Oppoſitio?

℞. Inter proprietates complexas primum locum tenet Oppoſitio. Eſt autem pugna duarum enunciationum, quæ eodem ſubjecto, & prædicato conſtant.

Quo-

eſt; *dedicat enim virtuti ineſſe bonitatem*; *aliæ abdicativæ*, *quæ abdicant aliquid de quopiam*. Ratio hujus locutionis eſt, quia apud vetuſtiſſimos latinitatis auctores *dedicare* idem erat ac dicere, ut teſtantur Feſtus & Nonius.


(3) De veritate & falſitate in hac prima Logicæ parte, quæ ad formam diſputandi pertinet, nihil præcipitur; ſed dumtaxat de recta enunciatione, & connexione enunciatorum.

Digitized by Google

Quotuplex eſt?

℞. Quadruplex eſt. Vel enim enunciationes pugnant quantitate, ut hæ: *omnis homo eſt juſtus, aliquis homo eſt juſtus*; & dicuntur *ſubalternæ*. Vel pugnant qualitate; cujus generis aliæ ſunt univerſales, ut hæ, *omnis homo eſt juſtus, nullus homo eſt juſtus*; & dicuntur *contrariæ*: aliæ particulares, ut *aliquis homo eſt juſtus, aliquis homo non eſt juſtus*; & dicuntur *ſubcontrariæ*. Vel pugnant quantitate & qualitate ſimul, ut hæ, *omnis homo eſt juſtus, aliquis homo non eſt juſtus*; & dicuntur *contradictoriæ*. Ad has revocantur ſingulares, licet ſint quantitatis ejuſdem, quia pugnant quantum pugnare poſſunt; ut hæ, *Seneca eſt ſapiens, Seneca non eſt ſapiens*. En ſchema (4).

In



(4) Apulejus de hab. doctr. Plat. contrarias appellat *in-*

Digitized by Google

In oppoſitione quomodo dignoſcitur veritas, & falſitas?

℞. *Contradictoria* ita ſe habent, ut ſemper una ſit vera, altera falſa (5). *Contraria* poſſunt eſſe ſimul falſæ, non tamen ſimul veræ. *Subcontraria* poſſunt eſſe ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ. *Subalterna* poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ (6).

Quid eſt Æquipollentia?

℞. Æquipollentia, quæ Græce *ἰσοδυναμία*, Latine *pariatio* dici poteſt, eſt cum enunciationes oppoſitæ inter ſe conciliantur, & ad eamdem ſignificationem ducuntur per particulam *non*. Hæc particula igitur conciliat *contradictorias*, ſi alterius ſubjecto præponatur; conciliat *contrarias*, ſi poſtpo-

congruas; ſubcontrarias vocat *ſuppares*; contradictorias dicit *alterutras*, quod alterutra dumtaxat vera ſit. Ab aliis Latinis Scriptoribus contradictoriæ vocantur *repugnantes*; ſubalternæ dicuntur *conſequentes*; ſubcontrariæ appellantur *contrariæ particulares*. Ego retinui vulgares formulas, quamvis barbaras; ne noſtrorum Logicorum aures illis aſſuetas nimium offenderem.

(5) Vide ne *contradictoriæ* ſint enunciationes complexæ, ut ſi dicam: *Nullus equus magis ridet, quam canis*; *Aliquis equus magis ridet, quam canis*. Iſtæ enim revera non ſibi contradicunt; quia plura enunciata continent, quæ ſunt expedienda, ut ſingula ſingulis opponantur: videlicet *equum ridere, canem ridere, equum magis ridere, canem minus ridere*.

(6) Hæc ex Ariſtotele de Enunciandi rat. cap. 7. 9. & 14. Porro quæ de abſolutarum enunciationum oppoſitione dicta ſunt, ea facile ad alias quoque traduci poſſunt, ut explicat Ariſtoteles cap. 12. & 13. ejuſdem Operis.

Digitized by Google

ponatur; conciliat *ſubalternas*, ſi præponatur, & poſtponatur. Quæ omnia comprehenduntur verſiculo memoriæ gratia.

Præ contradic. Poſt contra. Præ poſtque ſubalter (7).

Quid hinc eſt commodi?

℞. Sæculum graviora poſtulat. Attamen olim hæc quoque ad exercendum ingenium adhibita ſunt.

Quid eſt Converſio?

℞. Eſt mutatio ſubjecti in prædicatum, & prædicati in ſubjectum, ſalva enunciationis qualitate, ſed mutata nonnumquam quantitate (8).

Quotuplex eſt?

℞. Triplex, *ſimplex*, *per accidens*, *per contrapoſitionem*. Sic enim appellare placuit. *Simplex* eſt, in qua

(7) Ex. gr. *Omnis homo eſt juſtus*, ita conciliatur cum ſua contradictoria: *Non omnis homo eſt juſtus*. Cum ſua contraria hoc modo: *Omnis homo eſt non juſtus*. Porro in conciliandis ſubalternis interdum duplex particula *non* ita concurrit, ut altera alteri adhæreat; v. gr. ſi concilietur hæc, *Aliquis homo non currit*, cum adverſaria ſua. Tunc reſolvenda eſt enunciatio in partes explicitas per verbum ſubſtantivum *eſt* hoc ferme pacto: *Non aliquis homo non eſt non currens*.

(8) Iccirco mutatur in aliqua enunciatione quantitas, ut etiam facta converſione ſtet ejus veritas. Ex. gr. cum dico, *Omnis virtus eſt habitus animi*, ſignifico habitum aliquem, non omnem. In converſione igitur enunciationis univerſalis ajentis mutanda quantitas eſt: niſi forte ſubjectum cum prædicato reciprocetur; ut cum dico, *Omnis homo eſt rationalis*.

qua fit ſimplex converſio prædicati in ſubjectum; quod accidit in enunciatione univerſali negante, & particulari ajente. *Per accidens* eſt, in qua, facta converſione, mutatur quantitas; quod fit in univerſali ajente, & interdum etiam in negante. *Per contrapoſitionem* eſt, in qua poſt converſionem extremorum utrique termino præponitur particula *non*; quod fit in enunciatione particulari negante, & interdum etiam in univerſali ajente. Leges iſtæ nimium ſubtiles ac moleſtæ comprehenduntur diſticho æque frigido.

E, I, ſimpliciter convertitur. E, A, per accid.
A, O, per contrap. Sic fit converſio tota (9).

Cui bono eſt converſionis doctrina?

℟. Nunc tota fere inanis eſt. Olim, cum Sophiſtarum diſputationes valerent, percommoda erat reducentibus Syllogiſmos imperfectos ad perfectos (10).

(9) Exemplum converſionis ſimplicis:
Nulla materia eſt ſpiritalis.
Nullum ſpiritale eſt materia.
Per accidens:
Omnis homo eſt animal.
Aliquod animal eſt homo.
Per contrapoſitionem:
Omnis homo eſt vivens.
Non omne vivens eſt non homo.

(10) De Converſione fuſe diſputat Ariſtoteles lib. 1. Prior. Analyt. cap. 2. & 3.

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA

DE RATIOCINATIONE.

CAPUT I.

DE RATIOCINATIONIS NATURA, ET PARTIBUS.

Quid eſt Ratiocinatio?

℞. Ratiocinari eſt res ignotas per notas patefacere, unum judicium ex alio colligendo; ut cum, viſo fumo ex aliqua domo erumpente, ſic diſputo: *fumus eſt; ergo ignis eſt*. Itaque definiri poteſt ratiocinatio Ciceronis verbis Acad. 4. cap. 8. *Ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit* (1).

(1) A Quinctiliano lib. 5. cap. 10. dicitur *Ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud; & quæ, quod eſt dubium, per id, quod non eſt dubium, confirmat*. Quantus ſit ejus uſus in omni vita ſignificavit Menander in *Imbriis* apud Stobæum Flor. tit. 3.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἐν ἀνθρώπου φύσει
Μείζων λογισμοῦ· τῷ διαθέσθαι πράγματα
Ἕκαστός ἐστι καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον
Ἄρχων, στρατηγὸς, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος· ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ᾽ ἔχει.

Hoc eſt

Nihil eſt in humana natura
Melius ratiocinatione. Ordinando res

Nonne dicitur etiam argumentatio?

℞. Plerumque ita nuncupatur. Cum enim conjunctio prædicati cum ſubjecto minus clara eſt, adhibetur medium aliquid, quo utrumque perſpicue conjungatur. Medium hoc *argumentum* dicitur; unde eſt argumentationis nomen. Itaque hæc argumentatio dicitur: *Omnis materia eſt extenſa; ergo dividua*. Nam, cum mihi non conſtaret, utrum materia omnis dividi poſſet, *argumentum* ſumſi ab ejus extenſione, & per hoc vinculum illos duos terminos affirmate conjunxi (2).

Quot ſunt argumentationis partes?

℞. Tres: *antecedens*, ex quo aliquid infertur; *conſequens*, quod infertur; *conſequentia*, ideſt conſecutio ipſa unius ex alio.

Et recte ratiocinando unuſquiſque eſt.
Princeps, ductor exercitus, ductor populi, præterea
Conſiliarius. Qui ratiocinatione præſtat, cuncta obtinet.

(2) *Argumentum* igitur eſt ratio, quæ rei confirmandæ, vel refutandæ adhibetur; *argumentatio* eſt ipſius rationis explicatio & elocutio. Attamen interdum utraque vox promiſcue adhibetur. Cicero de Invent. lib. 1. cap. 40. *Argumentatio nomine uno res duas ſignificat; ideoque & inventum aliquam in rem probabile, aut neceſſarium, argumentatio vocatur, & ejus inventi artificioſa expolitio.*

CA-

CAPUT II.

DE RATIOCINANDI FORMIS.

Quænam ſunt Ratiocinationis formæ?

℞. RAtiocinandi ratio una eſt, quæ ex notis progreditur ad aperienda ignota. Sed quia progreſſus hic vel eſt a partibus ad totum, vel a toto ad partes, vel a parte ad partem, vel a ſignis ad res ſignificatas, quatuor ſunt argumentationis formæ, *Inductio*, *Syllogiſmus*, *Exemplum*, *Enthymema* (1).

Quid eſt Syllogiſmus?

℞. Eſt argumentatio, per quam poſito toto, aliquid efficitur neceſſario de parte, quæ in eo continetur, ita ferme: *Virtus eſt habitus bonus*; *prudentia eſt virtus*; *ergo prudentia eſt habitus bonus*. Vis ejus in eo omnis ſita eſt, quia quod de omni dicitur, etiam de ſingulis dici debet (2).

(1) Ariſtoteles quatuor has ratiocinandi formas recenſet in lib. 1. Poſter. Analyt. c. 1. at idem in lib. 2. Prior. c. 25. duas tantum facit, *ſyllogiſmum*, & *inductionem*; quia ſcilicet *enthymema* pertinet ad primam, *exemplum* ad ſecundam, ea prorſus ratione, qua imperfecta omnia ad perfecta revocantur.

(2) Proprie ſyllogiſmus vocatur, qui neceſſario concludit, & ſcientiam parit. Porro cum dicitur progredi a toto ad partes, nomine totius ſignificatur totum Logicum.

Digitized by Google

Quid eſt inductio?

℞. Eſt argumentatio carens medio, & concludens univerſale per enumerationem ſingularium, ex quibus conſtat. Ex. gr. *Prudentia eſt habitus bonus, juſtitia eſt habitus bonus, temperantia eſt habitus bonus, fortitudo eſt habitus bonus; ergo virtus eſt habitus bonus*. Nititur eo fundamento, quia idem de eodem affirmari debet. Univerſale autem non differt a ſingularibus ſimul comprehenſis (3).

Quid eſt Inductio illa, quæ Socratica dicitur?

℞. Inductio *Socratica* ad exempli naturam accedit, & probabiliter dumtaxat concludit. Eſt autem argumentatio, quæ progreditur ex multis ſimilibus ad aliquid ſimile concludendum per interrogationes: ex. gr. *Cithara datur ne pulſanda nobili viro, an perito Citharœdo? Perito Citharœdo. Clavus datur ne gubernandus nobili viro, an perito Nau-*

cle-

(3) Inductio ab Ariſtotele lib. 1. Topic. cap. 12. dicitur ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, *a ſingulis ad univerſa progreſſio*. Porro cum a formis ad genus procedit, neceſſario concludit; & dicitur *Philoſophica*: cum progreditur a partibus ad totum, concludit probabiliter; & dicitur *Dialectica*. Primæ exemplum jam attulimus; ſecundæ poteſt eſſe illud Perſii ſat. 5. v. 53.

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno:
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini;
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno;
Hic campo indulget, hunc alea decoquit; ille
In Venerem eſt putris.

Digitized by Google

clero? Perito Nauclero. Valetudo committitur ne curanda nobili viro, an perito Medico? Perito Medico. Ergo etiam ad Reipublicæ regimen admittendi ſunt, non viri nobiles, ſed regendi periti. Si interrogationem tollas, deficit a more Socratico, & inductio Rhetorica dicitur; quia veteres Dialectici, præſertim Socratici, diſputabant interrogando; Rhetores oratione continua utebantur (4).

Quid eſt Exemplum?

℞. Eſt argumentatio, quæ ex parte partem colligit, habetque vim ſimilitudinis, ſive in re, ſive in facto aliquo verſetur: ex. gr. *Dum equum aſſidue exerces, facis ad frænum & rhedam paratiorem: ergo ſi animum aſſidua contemplatione exerceas, facies ad contemplandum magis idoneum & expeditum. Milo Crotoniates taurum geſtavit; quia eundem, vitulus cum eſſet, geſtare cœpit, nec diem ullum intermiſit, quin geſtaret: ergo tu quoque multa contemplari poteris, ſi pau-*

(4) A Cicerone lib. I. de Invent. cap. 31. dicitur *Oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſiones ejus, quicum inſtituta eſt; quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur.* Quinctil. lib. 5. cap. 11. *Inductio, qua plurimum Socrates eſt uſus, hanc habuit viam: cum plura interrogaſſet, quæ confiteri adverſario neceſſe eſſet, noviſſime id, de quo quærebatur, inferebat, cui ſimile conceſſiſſet.* Utraque autem tum Socratica, tum oratoria tendit ad univerſale. Nam ſingularia, quæ in complexione colliguntur, ſub aliquo genere continentur; illudque ipſum genus tacite concluditur: ver. gr. in exemplo allato tacite concluditur, in omni vitæ negotio peritis adminiſtris utendum eſſe. Hinc ſuam vim ſumit pronunciatum hoc: *Ad reip. regimen admittendi ſunt homines regendi periti.*

Digitized by Google

pauca mature contemplari incipies, nec umquam intermittes contemplandi laborem (5).

Quid eſt Enthymema?

℞. Eſt forma argumentandi minus firma, quæ progreditur a ſignis ad res ſignificatas. Argumentatio Rhetorica dicitur. Et quia Rhetores non perſequuntur religioſe partes omnes, ſed ex paucioribus ſæpe concludunt, hinc fit, ut in ſcholis Enthymema vocetur ſyllogiſmus decurtatus: ver. gr. *Mulier lac habet, ergo peperit* (6).

Præter has ratiocinandi formas ſunt ne aliæ?

℞. Tria ſunt præterea argumentationis nomina, quæ vulgo celebrantur, *Epicherema*, *Sorites*, & *Dilemma*.

Quid eſt Epicherema?

℞. Vulgo Dialectici *Epicherema* vocant argumen-

(5) Forma exempli eſt, ut progrediatur tamquam pars ad partem, ὡς μέρος πρὸς μέρος, quemadmodum eſt apud Ariſtot. lib. 1. Rhet. t. 104. Exempli materiam deſcribit Quinctilianus in lib. 5. c. 11. *Rei geſtæ, aut ut geſtæ, utilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio*. Vide etiam auctorem ad Herenn. l. 4. c. 45. Ciceronem lib. 1. de Invent. c. 30. & in Partition. Orat. c. 11. Ariſtotelem Rhet. lib. 2. t. 496. Nos exempli nomine omnem ſimilitudinis rationem complectimur, ſive ſit rei, ſive facti: in quo Ariſtotelem ſequimur.

(6) Enthymema in varias ſignificationes varioſque uſus trahi ſolet. Conſule Ariſtotelem l. 1. Rhetor. & l. 2. Prior. Analyt. c. 27. Quinctilianum l. 5. c. 10. & 14. Ciceronem in Top. c. 13. & Acroaſim meam *de Enthymemate*.

Digitized by Google

mentationem compoſitam, cujus propoſitioni, aut aſſumtioni ratio adjicitur; ita ut modo quatuor, modo quinque partibus conſtet. Re vera *Epicherema* eſt ſyllogiſmus Dialecticus, qui opponitur *Apodixi*, quatenus *Apodixis* per propria & neceſſaria rem manifeſtat, *Epicherema* per communia & probabilia (7).

Quid eſt Sorites?

℟. Interdum Dialectici Soriten appellant acervum quemdam enunciationum ſibi inter ſe cohærentium; in quo prædicatum antecedentis fit ſubjectum conſequentis, donec ultimæ prædicatum cum primæ ſubjecto componatur, hoc pacto: *Quodlibet corpus eſt in ſpatio; quod eſt in ſpatio, poteſt eſſe in alio ſpatio; quod poteſt eſſe in alio ſpatio, po-*

(7) Ariſtoteles Topic. l. 8. c. 11. φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς, ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικός. *Eſt philoſophema quidem ſyllogiſmus demonſtrativus, epichirema vero ſyllogiſmus dialecticus*. Idem docet Quinctilian. lib. 5. cap. 10. *Apodixis eſt evidens probatio. Hanc & ab Epichiremate differre Cæcilius putat ſolo genere concluſionis; & eſſe Apodixim imperfectam, Epichirema, eadem cauſſa, qua diximus enthymema a ſyllogiſmo diſtare*. Quo loco obiter moneo legendum eſſe *imperfectam*; non *imperfectum*, ut vulgo legitur. Hinc apparet, cur Rhetores ratiocinationes ſuas *Enthymemata & Epicheremata* vocent. Utroque nomine ſignificant argumentum concluſionis non neceſſariæ. Sed fere primum refertur ad formam, ſecundum ad materiam. Itaque *Epicherema* inter argumentandi formas locum habere non debet, quemadmodum non habet *Apodixis*: ſed nos ſcholarum morem potius notandum, quam deſerendum putavimus. Ceterum ſcire oportet, apud eoſdem Rhetoras & alterum pro altero, & utrumque varia ſignificatione uſurpari. Qua de re vide Quinctilianum l. 5. c. 14. Rectius ſcrib. *Epichirema*.

Digitized by Google

poteſt mutare ſpatium ; quod poteſt mutare ſpatium, eſt mobile; *ergo quodlibet corpus eſt mobile*. Sed hæc revera nihil aliud eſt, quam gradatio quædam ſyllogiſtica, ad medium magis magiſque explicandum (8).

Quinam eſt genuinus Sorites?

℞. Sorites genuinus, qui Latino nomine *Acervalis* dicitur, eſt argumentatio ad fallendum comparata, in qua minutis additionibus, aut detractionibus ab eo, quod perſpicue verum eſt, ad id, quod eſt perſpicue falſum, diſputantem adducimus: ut ſi ego dicam, mille grana efficere acervum tritici; tu autem ita urgeas: *quid ſi unum exemero, quid ſi alterum, tertium, quartum?* meque tamdiu premas, donec unum illud deſignem, quo acervus abſolvitur. Hoc autem numquam fiet, quia natura non dedit nobis cognitionem finium (9).

Quid

(8) Demonſtratio compoſita dici poteſt. Si quis autem velit eam in plures ſyllogiſmos reſolvere, incipiat a propoſitione ſecunda: *Quod eſt in ſpatio, poteſt eſſe in alio ſpatio; quodlibet corpus eſt in ſpatio; ergo &c.* tum a tertia, ſubinde vero a quarta eodem modo. Sed vide Acroaſim meam *de Sorite*.

(9) Julianus Juriſconſultus de Reg. Jur. Leg. 65. *Ea eſt natura cavillationis, quam Græci σωρείτην appellant, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur*. Cicero Academ. 4. cap. 29. *Natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re ſtatuere poſſimus quatenus: neque hoc in acervo tritici ſolum, unde nomen eſt, ſed nulla omnino in re minutatim interroganti*.

Digitized by Google

Quid eſt Dilemma?

℞. Eſt argumentatio, quæ *Cornuta* dicitur; quod ejus antecedens duabus partibus conſtet, & incommodum utrinque pariat: ex. gr. *ſi uxorem deformem duces, tibi non placebit; ſi pulchram, placebit aliis: ergo omnino ducenda non eſt*. Hujuſmodi argumentatio ſæpe invertitur, & vocatur a Græcis ἀντίϛρεφον, a Latinis *reciprocum*: ex. gr. *ſi uxorem pulchram duces, tibi placebit; ſi deformem, non placebit aliis: ergo ducenda eſt* (10).

Eſtne aliud Dilemmatis genus?

℞. Eſt etiam Dilemma complexum, cujus exemplum peti poteſt ex Gellio lib. 14. cap. 1. *Genethliaci aut adverſa ventura dicunt, aut proſpera: ſi dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando: ſi adverſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque non ſunt proſpera, jam inde animo miſer fies, antequam fato fias: ſi felicia promittunt, eaque eventura ſunt, tum plane duo erunt incommoda; & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiuſmodi hominibus, res futuras præſagientibus.*

Ex

(10) Verba hæc ſunt Biantis apud Gellium l. 5. c. 11. A Diogene Laertio tribuuntur Bioni. Porro modus hic argumentandi refertur ad ſyllogiſmum compoſitum, de quo agemus in capite ultimo hujus partis. Vide eundem Gellium ibid. c. 10.

Digitized by Google

Ex enumeratis ratiocinandi formis quaenam eſt optima?

℞. Optima ratiocinandi forma, princeps, atque una, ad quam reliquae revocantur omnes, ſyllogiſmus eſt: & hic quidem duplex, *Simplex*; & *Compoſitus*. De utroque agemus (11).

(11) Superiores argumentationes, addita propoſitione generali, revocantur ad formam ſyllogiſmi. Verbi gr. exemplum Inductionis ſupra allatum ita erit efferendum: *Quod eſt prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo, eſt habitus bonus; virtus eſt prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo; ergo virtus eſt habitus bonus*. Hic ab Ariſtotele in l. 2. Prior. Analyt. c. 23. dicitur συλλογισμὸς ἐπακτικὸς, *Syllogiſmus Inductivus*.

CAPUT III.

DE SYLLOGISMO SIMPLICI.

Quid eſt Syllogiſmus ſimplex?

℞. SYllogiſmus ſimplex, qui etiam *Categoricus* dicitur, eſt ille, in quo duo ſunt ſimplices termini, & *medium* unum, ex quibus fiunt tres ſimplices enunciationes. Prima enunciatio, unde vis manat ratiocinationis, vocatur a Latinis *propoſitio*, ſecunda *aſſumtio*, tertia *concluſio*. Vulgo in ſcholis prima dicitur *propoſitio major*, ſecunda *propoſitio minor*, tertia *conſequentia*. Termini autem ſunt,

Digitized by Google

ſunt, *minus extremum*, ideſt ſubjectum concluſionis, & *majus extremum*, ideſt prædicatum. *Medium* eſt veluti utriuſque menſura, & in concluſione locum non habet. Porro *major* dicitur, non quia primo loco ſit, ſed quia continet *majus extremum*. Itaque etiam ſecundo loco poſita diceretur *major*. Accipe exemplum; *omne bonum eſt expetendum; voluptas eſt bona; ergo voluptas eſt expetenda* (1).

Explica mihi vim & formam ſyllogiſmi.

℞. Propoſita quæſtione aliqua, tota vis & ratio ejus

(1) Prima ſyllogiſmi pars ab Ariſtotele dicitur πρότασις; a Cicerone modo *propoſitio*, modo *propoſitum*; a Quinctiliano *intentio*, vel *intentum*. Secunda ab Ariſtotele vocatur λῆμμα, a Cicerone, & aliis Latinis ſcriptoribus *ſumtio*, vel *aſſumtio*. Prima in lib. 2. ad Herenn. c. 20. 21. & 22. dicitur *expoſitio*. Appellari etiam videtur *præſumtio* a Cicerone l. 2. de Divin. c. 23. *Si demus tibi iſtas duas ſumtiones, ea quæ λήμματα appellant Dialectici, ſed nos latine loqui malumus; præſumtio tamen, quam πρόληψιν iidem vocant, non dabitur*.

Medium ita dictum videtur, quod extrema conciliet, ideſt ſubjectum cum prædicato componat, tamquam arbiter. Quidam (ut ſcribit Ramus lib. 7. Schol. Dial. cap. 14.) ex eo dictum putant, quod *media*, hoc eſt argumenta quæſtionis ſolvendæ non in ſummis Categoriarum gradibus, neque in infimis, ſed in *mediis* quærantur; quod cujuſmodi ſit, explicat Ariſtoteles in lib. 1. Prior. Anal. cap. 27. Dialectici noſtri non ſatis apte *medium terminum* dicunt: quod enim *medium* eſt, non poteſt *terminare*. Attamen etiam a Philopono ad lib. 2. Poſter. t. 48. vocatur μέσος ὅρος.

Concluſio, Græce συμπέρασμα, eſt id, quod ex propoſitione & aſſumtione conficitur. Dicitur autem *concluſio*, quia ratiocinationem concludit. A Cicerone interdum vocatur *Complexio*, a Quinctiliano *Connexio*, quod ſuperiora connectat & complectatur. Id quomodo fiat, vide apud Ciceronem de Invent. lib. 1. cap. 34.

Digitized by Google

ejus ſolvendæ in eo eſt, ut palam fiat ſubjectum contineri in prædicato: verbi gratia cum quæritur, *num voluptas ſit expetenda*, ea vis eſt harum vocum, ut oſtendatur, utrum inter *expetenda* contineatur *voluptas*, tamquam pars in toto aliquo. Si quis igitur invenerit aliquid, quod contineat *voluptatem*, & contineatur inter *expetenda*, planum faciet, ipſam quoque *voluptatem* inter *expetenda* contineri. Id videtur eſſe *bonum*, quod tamquam *medium* adhibitum eſt a nobis in allato ſyllogiſmo. Se habet autem, ut *duo*, quæ continent *unum*, & continentur in *tribus*.

En ſchema.

Voluptas.	*Bonum.*	*Expetendum.*
1	2	3
Subjectum.	Medium.	Prædicatum.

Si duo ſunt in tribus; & unum eſt in duobus; ergo unum eſt in tribus.

Quænam ſunt in regendo ſyllogiſmo conſideranda?

℞. Quidam ad regulam modo allatam nihil addendum putant. Nos ne diſcedamus a Logicis formulis, & communi ſcholarum doctrina, duo eſſe dicimus, quæ in quolibet ſyllogiſmo conſiderari debent, *materiam, & formam*. *Materia* duplex eſt; altera remota, hoc eſt termini, & medium; altera proxima, hoc eſt propoſitiones inde conflatæ. *Forma* eſt artificioſa materiæ diſpoſitio, quæ rurſus duplex eſt; vel materiæ remotæ, & di-

Digitized by Google

dicitur *figura*; vel proximæ, & dicitur *modus* (2).

Quid eſt figura?


℞. Eſt apta medii cum duobus extremis ad concludendum colligatio. Cum autem quadrifariam medium cum extremis colligari poſſit, quadruplex exiſtit figura ſyllogiſtica. Prima, in qua medium in majori eſt ſubjectum, in minori prædicatum. Secunda, in qua medium utrobique prædicatum eſt. Tertia, in qua medium utrobique eſt ſubjectum. Quarta, in qua medium in majori prædicatum eſt, in minori ſubjectum. Sed poſtrema hæc, quæ *Galenica* dicitur, quod Galeno placuerit, ejuſque auctoritate aſſeratur, apud Ariſtotelem, ejuſque aſſeclas nullo in numero eſt; quia non differt a prima, niſi quatenus major ſecundo loco ponitur, minor primo (3).

(2) Ariſtotelis regulas de ſyllogiſmi forma juniores quidam minus neceſſarias exiſtimant; modo perſpicue comprehendatur ſubjecti & prædicati natura, & alterius ad alterum relatio: ſed eos refellit, qui unus omnes acumine ſuperat, Leibnitius in Actis Erudit. an. 1684. p. 540.

(3) Syllogiſmos iſtiuſmodi ad primam figuram referunt Theophraſtus, Eudemus, & Boethius l. 2. de Syllog. Categor. Alcinous quoque in Inſtitut. ad doctr. Platon. c. 5. afferens exemplum figuræ primæ, ſumtum ex Platonis Alcibiade, medium prædicavit in propoſitione, & ſubjecit in aſſumtione per figuram Galenicam: *Quæ juſta ſunt, pulcra ſunt; quæ pulcra ſunt, bona ſunt; ergo quæ juſta ſunt, bona ſunt.* Eodem modo Sex. Empiricus l. 2. Pyrrhon. hypot. c. 13. extulit celeberrimum Dogmaticæ ſcholæ Syllogiſmum: *Socrates eſt homo; homo eſt animal; Socrates ergo eſt animal.* Hi ſunt, quos Ariſtoteles in lib. 1. Prior. c. 23. vocat συλλογισμοὺς ἀντεστραμμένους, h. e. *inverſos*.

Digitized by Google

En ſchema.



Tres igitur figuræ priores hoc diſticho comprehenduntur.

Prima prius ſubicit medium, poſt prædicat ipſum:
Prædicat altera bis: tertia bis ſubicit (4).

Qua-

(4) *Prima.*
Homo eſt animal;
Socrates eſt homo;
Ergo Socrates eſt animal.

Quar-

Digitized by Google

Quænam ſunt ſyllogiſmi regulæ ad figuram ſpectantes?

℞. Prima eſt, ut in quolibet ſyllogiſmo non ſit niſi unum medium, & duo extrema. In hoc enim ars tota eſt, ut duo extrema inter ſe componantur, quod cum medio comparata, tamquam cum aliqua norma, probe conveniant. Hinc axioma, quo uno veluti cardine tota vertitur argumentandi ars: *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* ideſt quæ duo eidem conveniunt, ea ſibi inter ſe conveniunt. Itaque hoc peccat: *Canis latrat; ſidus eſt canis; ergo ſidus latrat. Canis* enim geminam habet ſignificationem, ideoque duo media conſtituit.

Secunda regula eſt, ne vox aliqua latius & communius ſumatur in concluſione, quam in præmiſſis. Nam ex particulari non licet colligere univerſale; cum pars ſit in toto, non totum in parte. Itaque hoc peccat: *omne animal eſt vivens; omne animal eſt ſubſtantia; ergo omnis ſubſtantia eſt*

Quarta.
Socrates eſt homo;
Homo eſt animal;
Ergo Socrates eſt animal.
Secunda.
Nulla avis eſt quadrupes;
Omnis equus eſt quadrupes;
Ergo nullus equus eſt avis.
Tertia.
Omnis avis eſt bipes;
Omnis avis eſt animal;
Ergo aliquod animal eſt bipes.

Digitized by Google

vivens. Vitium eſt in voce *ſubſtantia*, quæ in concluſione pro omni ſubſtantia ſumitur; in præmiſſis pro aliqua tantum, hoc eſt pro ea, quæ reciprocatur cum animali.

Tertia regula eſt, ut medium in utraque præmiſſa, vel ſaltem in alterutra univerſe ſumatur; quod Scholaſtici dicunt *ſupponere diſtributive*. Nam ſi utrobique particulare ſit, diverſa ſignificabit; ideoque geminum erit, ambiguum, & ad concludendum ineptum; ut in hoc: *Aliquod animal ridet; equus eſt aliquod animal; equus igitur ridet*. Vox *animal*, quæ medii loco eſt, in majori ſignificat animal rationale, in minori irrationale: itaque duo ſunt media; quod eſt contra regulam primam (5).

Quarta regula eſt, ut medium numquam ingrediatur concluſionem. Siquidem adhibetur in præmiſſis tamquam cauſſa, ex qua oritur concluſio; nihil autem oriri poteſt ex ſe ipſo.

Quatuor has regulas quatuor verſiculis comprehendimus memoriæ gratia.

Terminus eſt geminus, mediumque accedit utrique.
Præmiſſis dicat ne finis plura, caveto.
Aut ſemel, aut iterum medium genus omne capeſſat,
Officiique tenax rationem claudere nolit.

Quid

(5) Ratio rationis eſt, quia cum duplex medium eſt, gemina inſtituitur comparatio, ſubjecti cum medio uno, prædicati cum altero: proindeque colligi nequit, ſubjectum & prædicatum ſibi inter ſe convenire. Ut conveniant, utriuſque menſura debet eſſe una atque eadem.

Digitized by Google

Quid eſt modus ſyllogiſmi?

℞. Eſt trium enunciationum ſecundum quantitatem & qualitatem certa poſitio & connexio.

Quot ſunt modi?

℞. Si inutilium quoque rationem habere velis, ſunt numero ſexaginta quatuor. Nam totidem poſſunt eſſe connexiones. Utiles ſunt novemdecim; quorum novem ad primam figuram pertinent, quatuor ad ſecundam, ſex ad tertiam. Comprehendi ſolent verſiculis quatuor, in quibus cujuſque vocis ſyllaba prima ſignificat majorem propoſitionem, ſecunda minorem, tertia concluſionem. Si plures ſunt ſyllabæ, vacant metri cauſſa.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco. Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Suntne omnes admittendi?

℞. Quinque poſteriores primæ figuræ nullo in numero a nobis habentur, quia ſunt *indirecti*, hoc eſt ita concludunt, ut minus extremum prædicetur de majori extremo, eique attribuatur (6). Reliquos in tres claſſes pro figurarum numero dividimus, & hoc tetraſticho complectimur:

(6) Modi indirecti non ab Ariſtotele in Logicam inducti ſunt, ſed a Theophraſto, & Eudemo. Laborem docendi ac diſcendi augent, ſed nullius fere ſunt uſus.

Barbara, *Celarent*, *Darii*, *Ferioque* præibunt.
Ceſare, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco* ſequentur.
Tertia poſt veniet rationum turba, *Darapti*,
Felapton, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.

Fac ut clarius explices, quinam ſit modus directus, & quinam indirectus.

℞. Modus directus eſt ille, per quem majus extremum concluſionis enunciatur de minori extremo; ut ſi dicam: *qualibet virtus eſt laudabilis; prudentia eſt virtus; ergo prudentia eſt laudabilis.* Modus indirectus eſt ille, in quo minus extremum enunciatur de majori; ut ſi convertam concluſionem ſuperioris argumenti, hoc modo: *ergo aliquod laudabile eſt prudentia.*

Quænam ſunt regulæ in univerſum ad modos ſpectantes?

℞. Prima eſt, ut utraque præmiſſa, aut alterutra ſit univerſalis. Nam in duabus particularibus voces multiplicantur, ut dictum eſt in tertia figurarum regula; ideoque nihil concluditur; ut ſi dicam: *Quædam ſubſtantia eſt lapis; quoddam animal eſt ſubſtantia; ergo quoddam animal eſt lapis.*

Secunda regula eſt, ut alterutra ex præmiſſis ſit ajens; nam ex duabus negantibus nihil ſequitur: ut ſi ponas, *hominem non eſſe æternum; animal non eſſe æternum*; perperam colliges, *hominem non eſſe animal* (7).

Ter-

(7) Huc pertinet vulgatum illud: *Impoſſibile eſt lupum eſſe*

Tertia eſt, ut ex præmiſſis ajentibus non colligatur enunciatio negans; quæ regula explicatione non indiget.

Quarta eſt, ut concluſio ſit negans, ſi alterutra præmiſſarum negans fuerit; particularis ſit, ſi altera præmiſſarum fuerit particularis. Hinc illud in ſcholis vulgatum, *concluſionem ſequi debiliorem partem*. Neque enim effectus poteſt eſſe nobilior ſua cauſſa. Exempla ſunto: *Omne animal eſt vivens*; *quædam ſubſtantia eſt animal*; *ergo quædam ſubſtantia eſt vivens*. *Nullum animal eſt lapis*; *omnis homo eſt animal*; *ergo nullus homo eſt lapis*.

Porro quatuor iſtæ modorum regulæ quatuor carminibus comprehenduntur.

Nil, duo conjungas ſi particularia, gignunt.
Utraque ſi præmiſſa neget, nihil inde ſequetur.
Ajentes ambæ nequeunt generare negantem.
Eſt parti ſimilis concluſio deteriori.

eſſe gemmam; *impoſſibile eſt adamantem eſſe lupum* : *ergo impoſſibile eſt adamantem eſſe gemmam*. Idem enim eſt ac ſi dicatur: *Lupus non eſt gemma*; *adamas non eſt lupus*; *ergo adamas non eſt gemma*. Ceterum enunciata quædam ita efferuntur, ut revera ajant, quamvis negare videantur. Id fit, quia continent enunciationem incidentem, vel terminum aliquem infinitum. Ex. gr. *Illi non poſſunt juſtificari, qui fidem non habent in Jeſum Chriſtum*; *Hebræi fidem non habent in Jeſum Chriſtum*; *Hebræi igitur non poſſunt juſtificari*. Aſſumtio eſt ajens. Ita enim reſolvenda eſt: *Hebræi ſunt illi, qui &c.* Ita ſi dicas: *Quod extenſum non eſt, materia non conſtat*; *anima rationalis extenſa non eſt*; *ergo materia non conſtat*. Aſſumtio ita reſolvitur: *Anima rationalis eſt res non extenſa*. Iſtiuſmodi ſyllogiſmi vocantur *infiniti* in l. 1. Prior.

Digitized by Google

Cedo mihi ſingularum figurarum normam & exemplum, & primo quidem primæ.

℞. Ejus quatuor ſunt modi (8).

Bar-) *Omne honeſtum eſt laudabile;*
1) ba-) *Omnis virtus eſt honeſta;*
ra.) *Ergo omnis virtus eſt laudabilis.*

Ce-) *Nullum vitium eſt laudandum;*
2) la-) *Omne mendacium eſt vitium;*
rent) *Ergo nullum mendacium eſt laudandum.*

Da-) *Omne honeſtum eſt laudabile;*
3) ri-) *Aliqua actio eſt honeſta;*
i.) *Ergo aliqua actio eſt laudabilis.*

Fe-) *Nullum vitium eſt laudandum;*
4) ri-) *Aliqua actio eſt vitium;*
o.) *Ergo aliqua actio non eſt laudanda.*

Cedo mihi exempla figuræ ſecundæ.

℞. Ejus item modi ſunt quatuor.

Ce-) *Nullum vitium eſt laudabile;*
1) ſa-) *Omnis virtus eſt laudabilis;*
re.) *Ergo nulla virtus eſt vitium.*

Ca-

(8) Duo tantum primi, *Barbara* & *Celarent*, videntur neceſſarii, qui concluſionem habent univerſalem ajentem, & univerſalem negantem; ac proinde etiam particulares omnes in illis comprehenſas continent. Nam quidquid affirmatur de toto, affirmatur de qualibet ejus parte; & quidquid de toto negatur, de qualibet ejus parte negatur: quod Ariſtoteles in lib. 1. Prior. cap. 1. expreſſit per duas formulas, *dici de omni, & dici de nullo.*

Digitized by Google

Ca-) *Omne honeſtum eſt laudabile;*
2) me-) *Nullum vitium eſt laudabile;*
ſtres.) *Ergo nullum vitium eſt honeſtum.*

Fe-) *Nullum vitium eſt laudabile;*
3) ſti-) *Aliqua actio eſt laudabilis;*
no.) *Ergo aliqua actio non eſt vitium.*

Ba-) *Omne honeſtum eſt laudabile;*
4) ro-) *Aliqua actio non eſt laudabilis;*
co.) *Ergo aliqua actio non eſt honeſta.*

Cedo mihi tertiæ figuræ exempla.

℞. Ejus ſex ſunt modi.

Da-) *Omnis virtus eſt laudabilis;*
1) ra-) *Omnis virtus eſt habitus;*
pti.) *Ergo aliquis habitus eſt laudabilis.*

Fe-) *Nullum vitium eſt laudabile;*
2) la-) *Omne vitium eſt habitus;*
pton.) *Ergo aliquis habitus non eſt laudabilis.*

Di-) *Aliqua virtus eſt laudabilis;*
3) ſa-) *Omnis virtus eſt habitus;*
mis.) *Ergo aliquis habitus eſt laudabilis.*

Da-) *Omnis virtus eſt laudabilis;*
4) ti-) *Aliqua virtus eſt habitus;*
ſi.) *Ergo aliquis habitus eſt laudabilis.*

Bo-) *Aliquod vitium non eſt jucundum;*
5) car-) *Omne vitium eſt habitus;*
do.) *Ergo aliquis habitus non eſt jucundus.*

Fe-

Digitized by Google

Fe-) *Nullum vitium eſt laudabile ;*
6) ri-) *Aliquod vitium eſt habitus ;*
ſon.) *Ergo aliquis habitus non eſt laudabilis.*

Quanam eſt trium figurarum optima & perfectiſſima?

℞. Prima ; quia ſola continet omnes concludendi modos, hoc eſt univerſalem ajentem, & univerſalem negantem, particularem ajentem, & particularem negantem. Adde, quod medium in hac una loco ſuo collocatur, hoc eſt inter utrumque extremum; & geminum præſtat officium, prædicati, & ſubjecti. Adde præterea, quod ſervatur naturæ ordo: nam majus extremum, quia latius patet medio, de illo enunciatur in majori; medium vero ipſum, quia latius patet minori extremo, de illo dicitur in minori. Sit enim quæſtio ex. gr. *num Petrus ſit animal*: ita expedietur per medium *homo* in primo primæ figuræ modo: *Omnis homo eſt animal; Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt animal*. Vides, *hominem* ſubjici *animali* in majori propoſitione; *Petrum* ſubjici *homini* in minori, ſecundum naturæ leges.

Quodnam judicium ferendum de ſyllogiſmo, cujus propoſitiones ſunt complexæ?

℞. Interdum ſyllogiſmus ſuapte natura ſimplex, conſtat ex propoſitionibus modificatis & complexis; quod cum fit, ratio ſubjecti & prædicati non facile apparet, niſi ſenſus evolvatur, & brevibus

ver-

Digitized by Google

verbis rectoque ordine afferatur. Sit exemplum: *Deus jubet, ut diligamus inimicos; Titius eſt nobis inimicus; ergo eum diligere debemus*. Syllogiſmus hic eſt in primo modo primæ figuræ, quamvis aliter videatur verba dumtaxat reputantibus, eorumque poſitionem. Res clara fiet, ſi ita expedietur: *Inimici ſunt diligendi; Titius eſt nobis inimicus; ergo diligendus* (9).

Quibus legibus regitur Sorites?

℞. Acervus ille propoſitionum ſibi inter ſe cohærentium, quem Dialectici interdum Soriten dicunt, ad ſyllogiſmum ſimplicem revocari debet, iiſdemque legibus regi. Eſt enim gradatio quædam ſyllogiſtica, quæ in tot ſyllogiſmos reſolvitur, quot ſunt media gradatim aſſumta (10).

(9) Iſtiuſmodi ſyllogiſmi vocantur complexi & modales, de quibus Ariſtoteles in l. 1. Prior. Analyt. Porro interdum turbat enunciatio incidens, cujuſmodi eſt illa, *Deus jubet:* interdum vero etiam præpoſtera collocatio prædicati, & ſubjecti; ut ſi dicas, *Neceſſe eſt diligere inimicos, Titius eſt inimicus, &c.* Effer recto ordine hoc modo, *inimicos diligere neceſſe eſt; Titius eſt inimicus; ergo Titium diligere neceſſe eſt*, habebis argumentum figuræ primæ.

(10) Quomodo Sorites reſolvatur, & quibus legibus regatur, habes in capite ſuperiori. Iccirco autem inſtituitur gradatio, ut natura medii per plura enunciata evolvatur; atque hinc appareat, quomodo recte cum extremis quæſtionum cohæreat; & re vera proximum ſit, quamvis remotum videretur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE SYLLOGISMIS IMPERFECTIS AD PERFECTOS REVOCANDIS.

Quinam ſunt ſyllogiſmi imperfecti?

℞. ITA appellantur ſyllogiſmi omnes ſecundæ, & tertiæ figuræ; itemque indirecti primæ, quia minus evidenter concludunt.

Quomodo revocantur ad perfectos?

℞. Subtiliſſimæ in rem hanc afferuntur a Peripateticis regulæ, quas olim neceſſarias fecit Sophiſtarum copia. Nunc quidem nullius fere ſunt uſus; ſed tamen cognoſcendæ: quia, ut ſcribit Seneca de Benefic. l. 6. c. 1. *Quod diſcere ſupervacuum eſt, prodeſt cognoſcere* (1).

Cedo mihi regulas iſtas.

℞. Sic habe. Quia quatuor primi modi primæ figuræ ſyllogiſticæ perfectiſſimi ſunt, & evidentiſſime concludunt, iccirco rationem quamdam adhibent Peripatetici, qua reliquos omnes ad priores illos revocent. Ratio hæc ab iis *Reductio* dicitur; eaque duplex eſt, altera *directa*, ſeu *oſtenſiva*, ut ipſi appellant; altera *indirecta*, ſeu *ad impoſſibile*.

Quid

(1) De his & ſimilibus loquitur idem Seneca ep. 49. *Non nego proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & a limine ſalutanda in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni judicemus.*

Digitized by Google

Quid eſt reductio directa?

℟. Reductio *directa*, ſeu *oſtenſiva* eſt, cum ſyllogiſmus minus perfectus reducitur vel ad *Barbara*, vel ad *Celarent*, vel ad *Darii*, vel ad *Ferio*. Quiſque autem reſpicit modum illum, qui incipit per eamdem litteram. Ex iis porro litteris, quæ ſequuntur poſt primam, animadvertendæ ſunt *S P M*. Nam *S* ſignificat propoſitionem præcedentem convertendam eſſe ſimpliciter; *P* per accidens; *M* mutandas eſſe loco præmiſſas. Sicubi *C* reperitur, argumento eſt modum illum carere reductione directa, & ad indirectam confugiendum eſſe. Quæ omnia diſticho comprehenſa ſunt memoriæ cauſſa.

S vult ſimpliciter verti. P vero per accid.
M. vult mutari. C per impoſſibile duci.

Ex. gr. reducendus ſit modus *Fapeſmo*. Palam eſt, revocari debere ad *Ferio*, quia incipit per *F*. Id fiet, ſi major propoſitio convertatur per accidens, quia eſt ante P; minor ſimpliciter propter litteram S, quæ proxime ſequitur; poſtremo utraque loco mutetur; ita ut minor fiat major, & contra major migret in locum minoris.

Quid eſt reductio indirecta?

℟. Reductio *indirecta*, ſeu *ad impoſſibile*, locum habet in omnibus modis tum ſecundæ, tum tertiæ figuræ; ſed pertinet maxime ad *Baroco*, & *Bo-*

car-

Digitized by Google

cardo, qui per directam reduci utiliter nequeunt (2). Fit autem hac ratione. Siquis, conceſſis præmiſſis, neget concluſionem (quod fieri ſolet, cum reprehenditur ſyllogiſmus tamquam inefficax) ſumitur ex ea negatione enunciatio contradicens. Hæc, ſi modus ſit *Baroco*, ponitur loco minoris; ſi ſit *Bocardo*, loco majoris; atque inde oritur ſyllogiſmus primæ figuræ, cujus concluſio eſt oppoſita alterutri ex præmiſſis jam conceſſis. Itaque adverſarius compellitur *ad impoſſibile;* quia cogitur concedere, duas enunciationes diſparatas, ſibique inter ſe contradicentes, eſſe ſimul veras. *Impoſſibile eſt autem, idem eſſe, ac non eſſe*. Regulam hanc diſticho comprehenderunt, ut memoriæ conſulerent.

Majorem ſervat, mutatque Baroco *minorem*.
Majorem mutat, retinetque Bocardo *minorem*.

Da mihi exemplum aliquod reductionis oſtenſivæ.

℟. En tibi. Reducatur primus modus ſecundæ figuræ, qui *Ceſare* dicitur.

Ce-] *Nullus lapis eſt animal;*
ſa-] *Omnis homo eſt animal;*
re.] *Ergo nullus homo eſt lapis*.

Major propoſitio convertenda eſt ſimpliciter propter litteram S, hoc modo: *nullum animal eſt la-*

(2) Etiam modi primæ figuræ reduci *ad impoſſibile* poſſunt, ſi quis tam audax ſit, ut ne illos quidem habere ratos velit; modo concedat, *contradicentia ſimul vera eſſe non poſſe*. Nam huc demum trahetur.

Digitized by Google

lapis. Cui ſi addas minorem, & concluſionem ſuperioris ſyllogiſmi, habes modum *Celarent*, qui eſt ſecundus primæ figuræ.

Ce-] *Nullum animal eſt lapis;*
la-] *Omnis homo eſt animal;*
rent.] *Ergo nullus homo eſt lapis.*

Da exemplum reductionis ad impoſſibile.

℞. En tibi. Reducatur idem modus *Ceſare*. Fac, ab adverſario, conceſſis præmiſſis, negatam fuiſſe concluſionem. Sumo enunciationem contradicentem, *aliquis homo eſt lapis;* quæ ſane per adverſarium debet eſſe vera. Tum illi præmitto majorem ex præmiſſis jam conceſſis, quæ erat hujuſmodi; *nullus lapis eſt animal*. Ex quo ſequitur concluſio particularis negans per modum *Ferio*, hoc pacto:

Fe-] *Nullus lapis eſt animal;*
ri-] *Aliquis homo eſt lapis;*
o.] *Ergo aliquis homo non eſt animal.*

Atqui concluſio hæc contradicit ſumtioni prioris ſyllogiſmi jam ab adverſario conceſſæ. Erunt igitur per illum veræ duæ enunciationes contradicentes; quod eſt *impoſſibile* (3).

Agit ne de his reductionibus Ariſtoteles?

℞. Agit, & quidem multis verbis, in l. 2. Prior. Analyt. unde pauca hæc ſumſimus.

Cur

(3) Latini homines, qui de his rebus elegantius ſcribunt, non dicunt *reducere ad impoſſibile*, ſed *urgere incommodo adverſarium*: incommodum autem in eo eſt, quia cogitur ſibi ipſe adverſari.

Digitized by Google

Cur igitur non vis, me adhibere, quæ Ariſtoteles ſcripſit, ut adhiberentur?

℞. Ariſtoteles conſuluit ſæculo ſuo talia quærenti; nos noſtro conſulere debemus. Logica enim eſt propter homines, non homines propter Logicam (4).

(4) Barth. Kechermannus de Præcogn. Log. tract. 2. num. 6. *Multa ſunt in Ariſtotelis Organo propria ejus temporis, & non ad noſtra, ſed ad Græcorum diſcipulorum, quos tum habuit, ingenia pertinentia.*

CAPUT V.

DE SYLLOGISMO COMPOSITO.

Quid eſt Syllogiſmus compoſitus?

℞. SYllogiſmo compoſito maxime utebantur Stoici. Eſt autem ille, cujus propoſitio duabus partibus conſtat, quarum altera totam concluſionem comprehendit, altera cauſſam ejus. Triplex eſt, *hypotheticus*, *conjunctus*, & *disjunctus* (1).

Qui-

(1) Syllogiſmi compoſiti quinque ſunt formæ, ut Stoici docent, potiſſimæ & ἀναπόδεικτοι. Prima eſt, quæ ex connexo & antecedenti colligit conſequens; ut cum dico, *Si dies eſt, lucet; dies autem eſt; ergo lucet*. Secunda, quæ ex connexo & contrario conſequentis contrarium antecedentis col-

Quinam eſt hypotheticus?

℞. Syllogiſmus hypotheticus, quem *conditionalem* Scholaſtici dicunt, Cicero *connexum*, eſt ille, cujus propoſitio duas partes continet copulatas per particulam *ſi* (2). Ut recte fiat, ſi ſit ajens, regi debet hoc canone: *Poſito antecedenti, ponitur conſequens;* ex. gr. *ſi juſtitia eſt, virtus eſt; ſed juſtitia eſt; ergo virtus eſt.* Si ſit negans, nititur hac regula: *Sublato conſequenti, tollitur antecedens;* ex. gr. *ſi juſtitia eſt, virtus eſt; ſed virtus non eſt; ergo juſtitia non eſt* (3).

H *Hic*

colligit; ut, *Si dies eſt, lucet; non lucet autem, non eſt igitur dies.* Tertia, quæ ex conjuncta negante, & poſitione alterius membri, contrarium colligit; ut, *Non dies & nox eſt; dies autem eſt; non eſt igitur nox.* Quarta, quæ ex disjuncta & uno disjunctorum, contrarium alterius colligit; ut, *Aut dies eſt, aut nox; dies autem eſt; non igitur nox.* Quinta, quæ ex disjuncta & contrario unius disjunctorum, alterum colligit; ut, *Aut dies eſt, aut nox; nox autem non eſt; dies eſt igitur.* Sex. Empir. l. 2. Pyrrhon. hyp. c. 13. n. 157.

(2) Boethius de ſyllogiſmis hypotheticis duos libros ſcripſit: quædam etiam ſcripſit Laertius in Zenone Cittiejo, quæ omnia in compendium redegit Philoponus ad lib. 1. Prior. Analyt. c. 22. Ariſtoteles nihil ſcripſit ob eam cauſſam (ut obſervat Gaſſendus de Logic. orig. & variet. cap. 6.) quia omnis ſyllogiſmus hypotheticus facile abſolutus fieri poteſt, ideoque alterius regulæ ad alterum accommodantur. Stoici multa commentati ſunt de hypothetico, de abſoluto vix pauca; quem ajebant ἀμεθόδως περαίνειν, *ſine methodo concludere*, ut refert Alexander Aphrodiſ. ad l. 1. Prior. Analyt.

(3) De negante ita Cicero in l. 4. de Fin. c. 19. *Docent nos Dialectici, ſi ea, quæ rem aliquam ſequantur, falſa ſint, falſam illam ipſam eſſe, quam ſequantur. Ita ſit illa conclu-*

ſio

Digitized by Google

Hic argumentandi modus quando claudicat?

℞. Uterque fallax eſt, cum effertur contrario modo. Deficit igitur ajens, ſi poſito conſequenti colligatur antecedens, ut cum dico: *ſi juſtitia eſt, virtus eſt; ſed virtus eſt; ergo juſtitia eſt* (4). Deficit negans, ſi ſublato antecedenti tollatur conſequens, hoc modo: *ſi juſtitia eſt, virtus eſt; ſed juſtitia non eſt; ergo virtus non eſt*. Quis enim non videt, ſi juſtitia non eſt, aliam quamdam eſſe virtutem poſſe (5)?

Fac

ſio non ſolum vera, ſed ita perſpicua, ut Dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere: Si illud, hoc; non autem hoc; igitur ne illud quidem. *Sic conſequentibus veſtris ſublatis, prima tolluntur*.

(4) Ratio, cur forma hæc deficiat, ea eſt, quia qui dicit, *Si juſtitia eſt, virtus eſt*; promittit antecedens, non conſequens: ideoque antecedens ſumendum eſt, & ex eo concludendum. Hoc fallaciæ genere peccat, qui res naturales explicat per hypotheſim; ut cum quis hoc modo diſputat: *Si mundus ita conſtructus eſt, ut putat Carteſius, recte ſe habet; atqui recte ſe habet; ergo ita conſtructus eſt, ut putat Carteſius*.

(5) Dicebat Philo (ut eſt apud Sex. Empiricum lib. 2. adver. Log. cap. I. num. 113.) verum eſſe connexum tribus modis, uno autem falſum. Primo enim verum eſt, cum incipiens a vero, deſinit in verum; ut illud: *ſi dies eſt, lux eſt*. Secundo, cum a falſo incipiens, in falſum deſinit; ut illud: *ſi terra volat, alas habet*. Tertio, cum incipiens a falſo, deſinit in verum; ut illud: *ſi terra volat, eſt terra*. Solummodo autem connexum eſt falſum, cum incipiens a vero deſinit in falſum, cujuſmodi eſt illud: *ſi dies eſt, nox eſt*. Brevius dici poteſt, veritatem connexi non pendere a veritate partium, ſed a recta conſecutione alterius ex altera.

Digitized by Google

Fac ut hæc aliqua ratione Dialectica extra aleam ponas.

℞. Quandoquidem particula *ſi* vario modo in oratione collocari poteſt, ne qua ſit erroris occaſio, ſic habeto. Illud dicitur *conſequens* apud Dialecticos, quod neceſſario conſequitur alterum, & ex eo infertur: illud *antecedens*, quod neceſſario antecedit, atque infert. Hoc modo ſe habent genus & ſpecies, quæ ſe mutuo antecedunt, & conſequuntur, pro vario efferendi modo. Nam ajendo genus conſequitur ſpeciem; ut *ſi juſtitia eſt, virtus eſt: ſi pirus eſt, arbor eſt: ſi homo eſt, animal eſt*: negando ſpecies conſequitur genus, ut *ſi virtus non eſt, juſtitia non eſt: ſi arbor non eſt, pirus non eſt: ſi animal non eſt, homo non eſt*. Quod ſi antecedens & conſequens reciproca ſint, & alterum ex altero promiſcue inferatur, nullum diſcrimen erit inter ajentia & negantia: verbi gr. *Si eſt homo, eſt rationalis; ſi non eſt homo, non eſt rationalis: ſi eſt rationalis, eſt homo; ſi non eſt rationalis, non eſt homo* (6).

In ſyllogiſmo hypothetico poſſunt ne eſſe plura enunciata?

℞. In hoc quoque locum habet gradatio ſyllogi-

(6) Interdum in Syllogiſmo hypothetico ajente major propoſitio negans eſt: ſed tum quidem genus præcedit, hoc modo, *ſi virtus non eſt, neque juſtitia eſt*: in minori autem ſumitur id, quod habet rationem ſpeciei, ita ferme, *ſed juſtitia eſt*; unde recte infertur, *ergo virtus eſt*. Exempli loco ſit illud D. Auguſtini de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 32. *Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit; Chriſtus autem reſurrexit; eſt igitur reſurrectio mortuorum.*

Digitized by Google

giſtica ad normam Soritis, ut in Categorico; quoties argumentatio negans eſt. In aſſumtione tamen eſſe non poteſt niſi enunciatum unum. Ex. gr. *Si turpe eſſet artem dicendi tradere, turpe eſſet ornate dicere; ſi turpe eſſet ornate dicere, eloquentia eſſet reip. incommoda; ſi eloquentia eſſet reip. incommoda, pelleretur a civitate: Sed eloquentia non pellitur e Civitate: ergo non eſt incommoda reip., ſi eloquentia non eſt incommoda reip., turpe non eſt ornate dicere; ſi non turpe ornate dicere, neque turpe eſt artem dicendi tradere* (7).

Quinam eſt ſyllogiſmus conjunctus?

℟. Eſt ille, in quo major propoſitio eſt negans, & duabus partibus conſtat copulatis per particulam *&*: ex. gr. *Non poteſt idem corpus moveri, & quieſcere; hic liber quieſcit; ergo non movetur.*

Quinam eſt disjunctus?

℟. Eſt ille, in quo major enunciatio partibus conſtat disjunctis per particulam *vel*, *aut*, hiſque ſimiles. Hujus autem duplex eſt modus. Nam vel pars una negatur, ut altera affirmetur; vel pars una affirmatur, ut altera negetur. En utriuſque exemplum: *aut dies eſt, aut nox; ſed nox non eſt;*

ergo

(7) Argumentum hoc collectum eſt ex Cicer. verbis in Orat. c. 41. *Si vitioſum eſt dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia. Sin ea non modo eos ornat, penes quos eſt, ſed etiam univerſam remp., cur aut dicere turpe eſt, quod ſcire eſt honeſtum; aut quod noſſe pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere?*

Digitized by Google

ergo dies eſt. Aut dies eſt, aut nox; ſed nox eſt; ergo dies non eſt (8).

(8) Interdum hujus generis ſyllogiſmi gravem fallaciam continent, quæ minus peritis negotium exhibet, ut cum dico: *Aut es ſapiens, aut non es ſapiens; ſed es ſapiens; ergo non es ſapiens*. Ratio fallaciæ eſt, quia particula *non* in majori propoſitione non negat, ſed terminum facit infinitum; in concluſione autem negat. Itaque hoc modo verba expedienda ſunt, ut argumentum recte habeat: *Aut es ille, qui ſapit; aut ille qui non ſapit; ſed es ille, qui ſapit; ergo non es ille, qui non ſapit*. Peccant etiam aliquando, quia res de qua agitur, plures partes capit, nec omnes recenſentur.

PARS QUARTA

DE METHODO.

CAPUT I.

DE METHODI NATURA, ET PARTIBUS.

Quid eſt Methodus?

℞. EST ratio atque ordo doctrinæ, a certo principio profectæ, & per certa inſtrumenta ductæ, ad verum inveniendum atque explicandum (1).

Quotuplex eſt Methodus?

℞. Duplex. Altera libera, quæ a judicio ſcribentis & loquentis pendet; & pro rerum ac temporum varietate variari ſolet; cujuſmodi eſt Poetarum atque Oratorum methodus. Altera legibus adſtricta, quæ ad Dialecticum pertinet (2).

Quid

(1) *Methodus* differt ab *Ordine*; quia *Ordo* facit, ut rem unam diſcamus poſt aliam; *Methodus* ut unam per aliam. Itaque *Methodus* non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam & judicio res invenit, inventaſque diſponit. *Ordo* memoriæ lumen affert ad res retinendas; *Methodus* lumen menti affert ad res cognoſcendas & explicandas.

(2) Methodus Poetica & Oratoria nihil eſt aliud, quam prudentia quædam per totam orationem fuſa; quæ quidem prudentia non caret arte, ſed caret arte Logica.

Digitized by Google

Quid eſt Methodus Dialectica?

℞. Placet nobis Methodum Dialecticam geminam facere, *Simplicem*, & *Compoſitam*. *Simplex* eſt, quæ rem definiendo ac dividendo explicat; *Compoſita* quæ argumentando (3).

Simplex Methodus quomodo dividitur?

℞. Dividitur in *Analyticam*, & *Syntheticam*; hoc eſt in eam, quæ *diſſolvit*, & in eam, quæ *componit*. Nam illa ex uno facit plura; hæc ex pluribus facit unum. Nomina Græca ſunt a *ſolvendo*, & *componendo* ducta (4).

Quid eſt Analytica?

℞. Eſt via & ratio veritatis inveniendæ per reſolutionem compoſitorum in ſimplicia, totius in partes, effectorum in cauſſas. Itaque Methodus hæc procedit ab iis, quæ ſunt notiora nobis, ad ea, quæ ſunt notiora per ſe & natura ſua; hoc eſt a ſingularibus & compoſitis ad univerſalia & ſimplicia. Hac utitur Logicus, cum argumentatio-

(3) Prima *Simplex* dicitur, quia definitio ac diviſio ſolvit quæſtionem ſimplicem *quid ſit*; ſecunda *Compoſita*, quia argumentatio ſolvit quæſtionem compoſitam *quale ſit*: illa primum mentis conatum regit, ideſt ſimplices perceptiones & explicationes; hæc ſecundum & tertium, ideſt judicia & ratiocinationes.

(4) *Analyſis* & *Syntheſis* voces ſunt a Geometria ſumtæ, ut ſcribit Philoponus ad init. lib. 1. Poſter. quemadmodum & *Syllogiſmus*, & aliæ in Logica adhiberi ſolitæ. Nam veteres hæc ſtudia poſt Geometrica ſuſcipiebant; ideoque multas formulas ex illis traducebant.

Digitized by Google

PARS QUARTA
DE METHODO.
CAPUT I.
DE METHODI NATURA, ET PARTIBUS.

Quid eſt Methodus?

℞. EST ratio atque ordo doctrinæ, a certo principio profectæ, & per certa inſtrumenta ductæ, ad verum inveniendum atque explicandum (1).

Quotuplex eſt Methodus?

℞. Duplex. Altera libera, quæ a judicio ſcribentis & loquentis pendet; & pro rerum ac temporum varietate variari ſolet; cujuſmodi eſt Poetarum atque Oratorum methodus. Altera legibus adſtricta, quæ ad Dialecticum pertinet (2).

Quid

(1) *Methodus* differt ab *Ordine*; quia *Ordo* facit, ut rem unam diſcamus poſt aliam; *Methodus* ut unam per aliam. Itaque *Methodus* non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam & judicio res invenit, inventaſque diſponit. *Ordo* memoriæ lumen affert ad res retinendas; *Methodus* lumen menti affert ad res cognoſcendas & explicandas.

(2) Methodus Poetica & Oratoria nihil eſt aliud, quam prudentia quædam per totam orationem fuſa; quæ quidem prudentia non caret arte, ſed caret arte Logica.

Digitized by Google

Quid eſt Methodus Dialectica?

℞. Placet nobis Methodum Dialecticam geminam facere, *Simplicem*, & *Compoſitam*. *Simplex* eſt, quæ rem definiendo ac dividendo explicat; *Compoſita* quæ argumentando (3).

Simplex Methodus quomodo dividitur?

℞. Dividitur in *Analyticam*, & *Syntheticam*; hoc eſt in eam, quæ *diſſolvit*, & in eam, quæ *componit*. Nam illa ex uno facit plura; hæc ex pluribus facit unum. Nomina Græca ſunt a *ſolvendo*, & *componendo* ducta (4).

Quid eſt Analytica?

℞. Eſt via & ratio veritatis inveniendæ per reſolutionem compoſitorum in ſimplicia, totius in partes, effectorum in cauſſas. Itaque Methodus hæc procedit ab iis, quæ ſunt notiora nobis, ad ea, quæ ſunt notiora per ſe & natura ſua; hoc eſt a ſingularibus & compoſitis ad univerſalia & ſimplicia. Hac utitur Logicus, cum argumentatio-

H 4 nem

(3) Prima *Simplex* dicitur, quia definitio ac diviſio ſolvit quæſtionem ſimplicem *quid ſit*; ſecunda *Compoſita*, quia argumentatio ſolvit quæſtionem compoſitam *quale ſit*: illa primum mentis conatum regit, ideſt ſimplices perceptiones & explicationes; hæc ſecundum & tertium, ideſt judicia & ratiocinationes.

(4) *Analyſis* & *Syntheſis* voces ſunt a Geometria ſumtæ, ut ſcribit Philoponus ad init. lib. 1. Poſter. quemadmodum & *Syllogiſmus*, & aliæ in Logica adhiberi ſolitæ. Nam veteres hæc ſtudia poſt Geometrica ſuſcipiebant; ideoque multas formulas ex illis traducebant.

Digitized by Google

nem ſolvit in enunciationes, enunciationes in terminos, terminos in ſimplices & compoſitos; quæ via maxime ad inveniendum idonea eſt (5).

Quid eſt Synthetica?

℟. Quæ progreditur e converſo ab iis, quæ ſunt notiora ſuapte natura, ad notiora nobis; ideſt ab univerſalibus ad ſingularia, a ſimplicibus ad compoſita, a partibus ad totum, a cauſſis ad effecta (6). Hac utitur Logicus, cum incipit a terminis, & per eos ad enunciationes procedit, ſubinde vero ad argumentationem. Methodus hæc in docendo & explicando locum habet; atque adeo

(5) Etiam in docendo atque explicando interdum adhibetur, cum propoſito alicujus rei fine, media ſubinde reſolvendo aperimus. Itaque Ariſtoteles *Analytica* methodo in Poſterioribus uti videtur; ubi expoſita ſcientiæ natura & ratione, pergit ad demonſtrationem, & reliqua ſciendi inſtrumenta. Eadem utitur in Ethicis, ubi explicato fine, ideſt beatitudine, poſtea de inſtrumentis agit ad illum conſequendum neceſſariis. Sed hæc quidem vulgo *Methodus definitionis* vocatur.

(6) Ariſtoteles initio lib. I. Phyſic. vocat univerſalia *notiora nobis*; in I. Poſter. vocat *notiora natura*. Sed in Phyſicis accipit univerſalia tamquam tota quædam; totum autem cognitione quadam rudi & confuſa *notius eſt nobis*, quam partes ex quibus componitur. In Poſterioribus univerſalia vocat cauſſas rerum, quæ res ipſas præcedunt & manifeſtant; ideoque *notiores natura* dicuntur, & quidem cognitione clara atque diſtincta. Itaque Phyſicus procedit ab univerſalibus, ut ſunt tota; Logicus ab univerſalibus, ut ſunt cauſſæ: ille incipit a cognitione confuſa; hic a cognitione diſtincta: Phyſicus a *notioribus nobis*; Logicus a *notioribus natura*. Id ſi reputaſſet Clericus in Arte Crit. Par. 2. c. 8. n. 10. non ſcripſiſſet, *Ariſtotelem non ſatis intellexiſſe, quid diceret.*

Digitized by Google

eo in faciendo quoque. Nam ex. gr. qui domum conſtruit, incipit a fundamentis, & per parietes pergit ad tectum, utique componendo (7).

(7) *Analytica* interdum idem valet, ac *Critica*. *Analytica* enim Methodo utimur, cum reteximus, & examinamus diſputationes alienas; *Synthetica* utimur, cum noſtras componimus. Platonici *Analyſim* aliter explicant: qua de re vide Alcinoum Inſtitut. ad doctr. Platon. c. 5.

CAPUT II.

DE METHODI LEGIBUS.

Quænam ſunt Methodi leges in quærenda veritate ſervandæ?

℞. ALII alias faciunt. Nobis ea prima lex eſt, ut initio ſtatim illud definiamus, in quo verſari volumus; non quidem definitione plena & perfecta, ſed tali quadam deſcriptione, quæ ſatis ſit ad rem propoſitam ab aliis ſeparandam. Nam plena & perfecta definitio in rem cadere nequit, quæ nondum ſit explorata (1).

Se-

(1) Cicero de Fin. lib. 2. cap.1. *Omnis in quærendo, quæ via quadam & ratione habetur, oratio, præſcribere primum debet, ut inter quos diſſeritur, conveniat, quid ſit id, de quo diſſeratur.* Et l. 1. de Orat.c.48. *Id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, ut quid ſit illud, de quo diſputatur, explanetur, ne vagari & errare cogatur oratio, ſi ii, qui inter ſe diſſentiunt, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent.*

Digitized by Google

Secunda lex eſt, ut rem in partes majores ſolvamus, deinde minores, poſtremo minimas; tamdiuque excutiamus, alias ab aliis ſeparantes, donec ad primas & ſimpliciſſimas ventum ſit (2).

Tertia, ut certum firmumque habeamus, *quidquid evidentiſſime cognoſcitur, ita eſſe, ſicuti cognoſcitur*. Nam ex. gr. qui evidentiſſime cognoſcit, ſe diſputare, revera diſputat. Hæc prima apud juniores Logicos & Metaphyſicos veritatis regula eſt. Sed reſolvitur in Ariſtotelicam illam de Enunciandi rat. c. 9. *Quidquid eſt, quandiu eſt, non poteſt non eſſe*. Cur enim exemplum allatum verum eſt; niſi quia qui diſputat, quandiu diſputat, non poteſt non diſputare (3)?

Quarta, ne quid prius, aut plus judicetur, quam perceptum ſit. Nos enim de rebus judicare non poſſumus, niſi per notiones earum (4).

Quinta, ne ſinamus nomina quædam nobis obtru-

(2) In quærenda veritate veniendum eſt ad partes minimas; non tamen in ea tradenda & explicanda. Itaque Seneca epiſt. 89. *Philoſophiam in partes, non in fruſta dividam. Dividi enim illam, non concidi utile eſt. Nam comprehendere, quemadmodum maxima, ita minima difficile eſt.*

(3) Hoc totum refertur ad notionis evidentiam, quæ criterium veritatis eſt, ut habes in Syntagm. 2. c. 1. quem locum conſule.

(4) Cum verum quærere incipimus, ea quoque ad examen revocanda ſunt, quæ ante certiſſima judicavimus; non ut rejiciantur, ſed ut nihil ex iis ratum habeatur, quin prius longo examine ſit excuſſum, & evidentiſſime comprehenſum. Si quid non poterit perſpicue comprehendi, judicium de illo ſuſpendatur. Id porro ad ea pertinet, quæ ratione, non auctoritate judicantur.

Digitized by Google

crudi, quorum clara & perſpicua ſignificatio non ſit (5).

Sexta, ne auctoritati plus tribuamus, quam oporteat, & recta ratio poſtulet. Veritatis enim indagator ſuis oculis, non alienis credere debet.

Quænam ſunt Methodi leges in veritate explicanda?

℞. Qui ad docendum aggreditur, id primum extra controverſiam ponat, in quo ſe exercet, ejuſque nomen ab ambiguitate liberet. Id cum præſtiterit, ſtatim ejus eſſentiam aperiat, tum affectiones, poſtea cauſſas; quæ tria ſignificari ſolent per formulas *quid ſit*, *quale ſit*, *cur ſit*. Atque hæc prima dici poteſt hujus methodi lex (6).

Secunda eſt, ut in re qualibet a ſimplicioribus & facilioribus incipiens, pergat ad compoſita & difficilia, eo utique ordine, ut priora poſterioribus lucem afferant (7).

Ter-

(5) Ut cum quis explicaturus, qua ratione corpus & mens ſimul coeant, & mutuis officiis inter ſe agant, ait id fieri *per influxum phyſicum*; quod nomen inane eſt. Plura exempla iſtorum nominum habet Clericus in Arte Crit. p. 2. c. 8.

(6) In formula *quid ſit* comprehendimus etiam *quotuplex ſit*, more Ariſtotelis, qui diviſionem partium revocat ad explicationem eſſentiæ. Quæſtio *an ſit* non ſemper præcedit alias. Nam ſi agatur de re, cujus natura ſit valde ignota, prius *quid ſit*, explicatur; deinde *an ſit*, quæritur. Ita Ariſtoteles in Phyſicis prius quid ſit vacuum, oſtendit; deinde num ſit in rerum natura, examinat.

(7) Sicubi ſimplicitas cum facilitate pugnabit, facilioribus locum concedes; quia in docendo ac diſcendo non tam re-

Digitized by Google

Tertia, ut non ſolum nihil neceſſarium prætermittat, ſed amputet ſupervacua. Nemo eſt enim illo jejunior, qui cuncta infarcit ſine delectu, nec tam cogitat quid dicat, quam quantum.

Quarta, ut in probando, ſi res argumenta neceſſaria capit, probabilia pauca adhibeat; eaque præponat, ex more Ariſtotelis, qui tantopere artem diſputandi calluit (8). Si neceſſaria deſunt, probabilia multa congerat. *Nam veriſimilia etiamſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, cum ſunt coacervata, proficiunt*. Cicero in Partit. c. 11. (9)

Quinta, ut in refellendo illud in primis ſpectet, quod affertur ab Ariſtotele in lib. 4. Metaph. c. 3. & 4. *Fieri nequit, ut idem ſit, ac non ſit*. Ex quo Metaphyſico principio fit Logicum illud: *Enunciata contradicentia non poſſunt eſſe ſimul vera*. Nam Sophi-

rerum, quam cognitionis noſtræ ratio habenda eſt. Itaque nos explicaturi notiones univerſales in Parte 1. c. 2. exordium duximus a ſingulari, quod eſt compoſitum, ſed facilius ad cognoſcendum; tum minutatim ex illo detrahentes, pervenimus ad ſimpliciſſima.

(8) A probabilibus tranſeundum eſt ad neceſſaria; tum quia, ut proverbio dicitur, *pulchrum eſt ab aſinis ad equos tranſire, turpe ab equis ad aſinos*; tum quia hoc pertinet ad perſuaſionem, ut extremo loco firmiora ſerventur, & ultimas auditorum cogitationes occupent.

(9) Quinctilianus lib. 5. c. 12. *Firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandum; infirmiora congreganda ſunt: quia illa per ſe fortiora non oportet circumſtantibus obſcurare, ut qualia ſunt, appareant; hæc imbecilla natura mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaque ſi non poſſunt valere, quia magna ſunt, valebunt quia multa ſunt*.

Digitized by Google

phiſtarum fallaciæ ad hunc denique ſcopulum argumentando alliduntur (10).

Sexta, ne putet inexplicabile, quod nondum explicatum eſt. Fieri enim poteſt, ut aliquando explicetur.

Septima, ut in quacumque materia verſemur; pro natura & conditione ejus, non pro libidine, aut partium ſtudio aſſenſum noſtrum moderemur. Quamquam hoc non tam boni Dialectici eſt, quam boni viri; nec fortaſſe ad nos pertinet talia præcipere.

Octava, ut cogitationes noſtras quam clariſſime explicemus, ſermonem adhibentes nitidum & idoneum; ne forte videamur verborum involucris ignorantiam noſtram tegere velle, & credulos homines ludificare. Quod ſiquis, cum recte ſentiat, non poteſt tamen, quod ſentit, dilucide explicare, publico abſtineat; *ne ſpiſſæ riſum tollant impune corona* (11).

Cedo paucis Methodi uſum.

℞. Vel agitur de tota diſciplina, vel de aliqua diſci-

(10) Cicero In Tuſcul. 1. c. 6. *Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis? Ubi eſt acumen tuum?*

(11) Cicero Tuſcul. 1. cap. 3. *Multi jam eſſe Latini libri dicuntur, ſcripti inconſiderate ab optimis illis quidem viris, ſed non ſatis eruditis. Fieri autem poteſt, ut recte quis ſentiat, & id quod ſentit, polite eloqui non poſſit: ſed mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & litteris. Itaque ſuos libros ipſi legunt cum ſuis; nec quiſquam attingit præter eos, qui eamdem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt.*

Digitized by Google

diſciplinæ parte, vel de aliqua ejus partis controverſia. Si res eſt de tota diſciplina, verbi gr. de Logica, Methodus *ſimplex* adhibetur, & quidem *Analytica* in quærendo, *Synthetica* in docendo. Si aliqua diſciplinæ pars explicari debeat, puta doctrina idearum, tenenda eſt via & ratio quæſtionum quatuor, *an ſit*, *quid ſit*, *quale ſit*, *cur ſit*; Denique ſi aliqua ejus doctrinæ controverſia ſit examinanda, verbi gr. num cognitio noſtra pendeat ab ideis, Methodus *compoſita* locum habet. Ad hanc porro revocatur Methodus illa, quam *Geometricam* quidam vocant; cum prius vocabula definiendo explicantur; deinde axiomata ponuntur; poſtremo argumentationes conflantur, vel firmæ, vel infirmæ, pro varia rerum natura & conditione, de quibus diſputatur (12).

(12) Ariſtoteles, cum methodum compoſitam adhibet, triplici via & ratione utitur. Nam interdum aliorum opiniones primum evertit, deinde ſuam ſtatuit & confirmat, ut in primo Phyſico de *Principiis*: interdum ſua ſtatim proponit, poſtea vero infirmat aliena, ut in tertio Phyſico de *Motu*: interdum utriuſque partis argumenta refert, tum ſententiam ſuam aperit, poſtremo contraria refellit, ut in quarto Phyſico de *Vacuo*. Sed exempla magnorum virorum parum juvant, niſi qui diſputat, ingenio & judicio valeat ad eligendum.

Digitized by Google

TABULA SYNOPTICA
TOTIUS OPERIS
SYNTAGMATA TRIA.

Primum de *Facultate* cognoſcente pag. 16.
Secundum de *Signo* veritatis cognoſcendæ p. 23.
Tertium de *Actione* facultatis cognoſcentis p. 29.

TERTII HUJUS QUATUOR SUNT PARTES.

I. *Perceptio*, cujus capita ſeptem.
) 1. de Notione p. 31.
) 2. de Idea p. 33.
) 3. de Idearum claſſibus p. 39.
) 4. de Voce p. 45.
) 5. de Definitione p. 51.
) 6. de Diviſione p. 61.
) 7. de Vocum proprietatibus p. 65.

II. *Enunciatio*, cujus capita tria.
) 1. de Enunciationis natura p. 70.
) 2. de Enunciationis partibus p. 73.
) 3. de Enunciationis proprietatibus p. 78.

III. *Ratiocinatio*, cujus capita quinque.
) 1. de Ratiocinationis natura & partibus p. 85.
) 2. de Ratiocinandi formis p. 87.
) 3. de Syllogiſmo ſimplici p. 94.
) 4. de Syllogiſmis imperfectis p. 108.
) 5. de Syllogiſmo compoſito p. 112.

IV. *Methodus*, cujus capita duo.
) 1. de Methodi natura, & partibus p. 118.
) 2. de Methodi legibus p. 121.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

A

ABdicativa enunciatio p. 79.
Abſolutum nomen pag. 46.
Abſtractio vulgo facit univerſale p. 38.
Abſtractum nomen p. 46.
Academici, & eorum claſſes p. 20. 21.
Academici quonam criterio uterentur p. 25.
Accidens quid ſit p. 39.
Dividitur in ſubjecta p. 63.
Interdum dividitur in accidentia ibid.
Acervalis p. 91. 92.
Actio quid ſit p. 43.
Actio facultatis cognoſcentis p. 29.
Adjectivum nomen p. 46.
Æquipollentia quid ſit, & quomodo Latine dicatur p. 82.
Ejus uſus p. 83.
Æquivocum, vox barbara p. 49.
Affectionum internarum criterium p. 23.
Affirmo, & Affirmatio quid valeant p. 79.
Ajo, & Ajentia quid valeant p. 79.
Analogum p. 48.
Analyſis & ſyntheſis, voces Geometricæ p. 119.
Analytica quid ſit p. 8. 121.
Analytica methodus p. 119. 120.

Ap-

Apodictica quid ſit p. 8.
Apodixis quid ſit p. 91.
Appetitus quid ſit p. 16.
Appietas, & Lentuleitas p. 46.
Apprehenſio p. 30.
Sit ne actio, an paſſio. ibid.
Arbor Porphyriana eſt fundamentum ſcientiæ omnis p. 42.
Arceſylas, ſive Arceſilaus mediæ Academiæ auctor p. 21.
Argumentatio quid ſit p. 86.
Quænam ejus ſint partes, & quomodo differat ab Argumento ibid.
Ejus formæ quatuor p. 87.
Auguſtinus Logicam vocat ſcientiam veritatis p. 5.
Ejus argumentum de reſurrectione mortuorum p. 115.
Aurum falſum non recte dicitur p. 14.
Axiomata Stoica ſunt enunciata p. 71.

B

Barbara; modus ſyllogiſticus maxime neceſſarius ex omnibus ajentibus p. 104.
Baroco, & *Bocardo*, reduci nequeunt niſi ad impoſſibile p. 109. & ſeq.
Biantis, ſive Bionis dictum p. 93.
Boni judicium pertinet ad Dialecticam p. 19.

C

Carteſii hypotheſis continet fallaciam Logicam p. 114.

Categorematicum nomen p. 47.
Categoriæ quid ſint p. 40.
Categoricum nomen p. 47.
Categoricus Syllogiſmus p. 94.
Celarent, modus ſyllogiſticus princeps ex negantibus p. 104.
Cicero quomodo Logicam definiat p. 5.
quos vocet Dialecticos p. 6.
Circuli definitio p. 74.
Clericus injuria accuſat Ariſtotelem p. 120.
Complexio idem atque concluſio p. 95.
Complexum nomen p. 46.
Complexus ſyllogiſmus p. 107.
Concluſio quid ſit p. 95.
Concretum nomen p. 46.
Conditionalis enunciatio p. 75.
Conditionalis ſyllogiſmus p. 113.
Conjuncta enunciatio p. 74.
Conjunctus Syllogiſmus p. 116.
Connexio idem atque concluſio p. 95.
Connexum quid ſit p. 113.
Quando ſit verum, quando falſum ex Philone p. 114.
Conſcientia quid ſit p. 16. 32.
Conſenſus omnium facit evidentiam p. 26.
Contingens enunciatio p. 77.
De futuris contingentibus ibid.
Contradictoria enunciationes quænam ſint, & quomodo Latine dicantur p. 81. 82.
Quomodo concilientur ibid.
Contrariæ enunciationes quænam ſint p. 81.

Quomodo concilientur p. 82.
Converſio quid ſit, & quotuplex p. 83.
Ejus uſus & commoda p. 84.
Cornuta argumentatio p. 93.
Corpora quomodo percipiantur p. 23.
Criterium veritatis quid ſit, & quale ſit pro varietate Sectarum p. 23. & ſeqq.
Criterium probabilis, & dubii p. 26.
Criterium eorum, quæ ſunt ſupra naturam p. 27.
Critica idem atque Analytica p. 121.
Cyrenaici quid ſenſerint de perceptione veri p. 24.

D

Dedicativa enunciatio p. 79.
Dedicare idem ac dicere p. 80.
Definitio quid ſit, & quomodo dividatur p. 52.
Num ſit terminus, an enunciatum p. 51.
Definitio nominis quid, & quotuplex p. 53.
Nomina quædam definiri non debent p. 52.
Definitio rei quid p. 53. 54.
Quadruplex eſt p. 53. & ſeqq.
Definitionis regulæ p. 58.
Definitio non ſemper eſt clarior re definita p. 59.
Explicat res per ſyntheſim p. 51.
Democritus quid ſtatuat de vero p. 20.
Denominans, Denominatum, Denominativum p. 49.
Deſcriptio quid ſit p. 56.
Detractio facit univerſale p. 37. 38.
Deus quomodo definiatur p. 58.
Dialectica quid ſit p. 6.
In quo verſetur p. 8.

Digitized by Google

Dialectici qui dicantur a Cicerone p. 6.
Dici de omni, & *dici de nullo* p. 104.
Differentia quid ſit p. 39.
Dilemma quid, & quotuplex p. 93.
Diſcreta enunciatio p. 76.
Disjuncta enunciatio p. 75.
Disjunctus ſyllogiſmus p. 116.
Ejus fallacia p. 117.
Diviſio quid ſit p. 61.
Quomodo differat a partitione ibid.
Quomodo differat a diſtinctione p. 64.
Quando ſit vitioſa ibid.
Diviſionis modi p. 63.
Ejus regulæ p. 64.
Docens Logica quid ſit p. 9.
Dubia quæ ſint p. 27.

E

Effatum idem eſt atque judicium p. 71.
Ens rationis p. 50.
Enthymema quid ſit p. 90.
Enunciare idem eſt ac prædicare p. 39.
Liber Ariſtotelis *de Enunciandi ratione* eſt ille, qui vulgo dicitur *de Interpretatione* p. 70.
Enunciatio quid ſit p. 70.
Quibus partibus conſtet p. 71.
Num contaminetur ab Incidente p. 74.
Ejus materia p. 73.
Ejus forma p. 77.
Abſoluta quando dicatur p. 77.
Modalis ibid.

Ejus

Digitized by Google

Ejus proprietates p. 78.
Quantitas ibid.
Qualitas p. 79.
Oppoſitio p. 80.
Æquipollentia p. 82.
Converſio p. 83.
Epicherema, ſeu Epichirema quid ſit vulgo p. 90.
Quid re vera p. 91.
Epicurei quid ſtatuant de vero p. 18.
Quonam utantur criterio p. 24.
Epicurus non recte dividit p. 65.
Etymologia quid ſit p. 53.
Evidentia p. 23.
Exemplum quid ſit p. 89.
Ejus materia quænam ſit p. 90.
Expoſitio idem ac propoſitio p. 95.

F

Facultas cognoſcens p. 14. 16.
Ejus actio p. 29.
Falſitas enunciationis p. 80.
Fidem revelationis evertunt, qui ſenſus evertere conantur p. 23.
Figura Syllogiſtica p. 97. & ſeqq.
Figura quarta non differt a prima p. 97.
Quænam ſit optima p. 106.
Finitum nomen p. 50.
Finium cognitionem non habemus p. 92.
Forma enunciationis p. 77.
Forma ſyllogiſmi p. 96.
Foxii judicium de Logica Scholaſticorum p. 13.

G

Galenica figura p. 97.
Genus quid ſit p. 39.
Non dividitur in differentias, ſed per differentias p. 63. 64.
Genus, & ſpecies quomodo ſe mutuo conſequantur p. 115.
Gradatio ſyllogiſtica p. 107.

H

Habitus quid ſit p. 44.
Hæreditas quomodo definiatur p. 59. 60.
Homonymum p. 48. 49.
Honor quomodo ſit honorantis p. 49.
Hypothetica enunciatio p. 75.
Quomodo illi contradicatur ibid.
Hypotheticus ſyllogiſmus quinam ſit p. 113.
Qui de illo ſcripſerint ibid.
Quando claudicet, & cur p. 114.
Quomodo fiat ex pluribus enunciatis p. 115.

I

Idea quid ſit p. 31. 33.
Adventitia, factitia, innata p. 34.
Clara, diſtincta, perfecta ibid.
Simplex, & compoſita p. 36.
Univerſalis, particularis, ſingularis ibid.
Non eſt vera, neque falſa p. 35.

Ima-

Digitized by Google

Imaginatio quid ſit p. 16.
Implicita enunciatio p. 76.
Incidens enunciatio quid ſit p. 73.
Habet locum in ſimplici perceptione p. 74.
Interdum aliquid efficit, interdum vacat ibid.
Incorporea quomodo percipiantur p. 31. 32.
Indefinita enunciatio p. 78.
Inductio Logica, Rhetorica, Socratica quid ſit p. 88. 89.
Revocatur ad ſyllogiſmum p. 94.
Infinitum nomen. V. *Nomen.*
Influxus Phyſicus nihil ſignificat p. 123.
Intellectus quid ſit, & quomodo verum cognoſcat p. 16. 17.
Intentio, & Intentum idem eſt, ac propoſitio p. 95.
Interrogatio Dialectica duplici nomine gaudet p. 62.
Judicium idem eſt atque enunciatio p. 71.

L

Leibnitius defendit Ariſtotelis regulas ſyllogiſticas p. 97.
Locus non examinatur a Logico p. 43.
Logica quid ſit p. 5.
Quotuplex p. 7. 8.
Quomodo differat a Rhetorica p. 9.
Sit ne ſcientia, an ars p. 11.
Sit ne neceſſaria, utilis, jucunda p. 11. 12.
Ejus officium, finis, materia p. 6. 7.
Logica eſt propter hominem, non homo propter Logicam p. 112.
Lunam habitari ſenſit Xenophanes p. 27.

Digitized by Google

M

Materia recte definitur ab Ariſtotele per negationem p. 58.
Medicus eſt etiam, qui non ſanat p. 6.
Medium argumentationis cur ita vocetur p. 95.
Ejus inventio p. 96.
Medius terminus non apte dicitur p. 95.
Memoria quid ſit p. 16.
Mens quibus nominibus exprimatur p. 16.
Mentis actio quotuplex p. 29.
Methodus quid & quotuplex ſit p. 118.
Quomodo differat ab ordine ibid.
Quid methodus Analytica p. 119.
Quid Synthetica p. 120.
Methodi leges p. 121. & ſeqq.
Methodi uſus p. 125. 126.
Quam ſit varia apud Ariſtotelem p. 126.
Mixtum nomen p. 47.
Modalis enunciatio p. 77.
Modus Syllogiſticus quid ſit p. 101.
Quotuplex ibid.
Directus, & indirectus p. 101. & ſeqq.
Motus definitio p. 59.

N

Naturalis Logica quid ſit p. 7.
Eſt neceſſaria p. 12.
Neceſſaria, & contingens enunciatio p. 77.
Negantia, & negatio p. 79.

No-

Digitized by Google

Nomen quid ſit, & quotuplex p. 45.
Nomen primæ, & ſecundæ notionis p. 49.
Infinitum, & finitum p. 50.
Non, particula facit nomen infinitum p. 50.
Quomodo adhibeatur in contradicendo p. 75.
Quomodo in negando p. 79.
Interdum iteratur, & concurrit p. 83.
Conciliat enunciata oppoſita ibid.
Videtur aliquando negare, etiamſi non neget p. 103.
Notatio quid ſit p. 53.
Notio quid p. 31.
Notius nobis, & notius natura quid ſit p. 120.
Notitia quid ſit apud Epicureos p. 18.

O

Omne, proprie quid dicatur p. 61.
Omnis, terminus ſyncategorematicus p. 47.
Facit enunciationem univerſalem p. 78.
Interdum non facit p. 79.
Oppoſitio quid, & quotuplex ſit p. 80. 81.
Optimates quomodo definiantur a Cicerone p. 57.
Oratio quælibet non eſt enunciatio p. 72.
Orator eſt etiam, qui non perſuadet p. 6.
Ordo quomodo differat a methodo p. 118.
Oſtenſiva Reductio p. 109.

P

Pariatio quid ſit p. 82.
Partes quomodo dividantur p. 61. 62.

Par-

Digitized by Google

Partitio quid ſit p. 62. Ejus regula p. 64.
Particularis, vox Apuleji p. 36.
Particularis idea ibid.
Particulare nomen p. 47.
Particularis enunciatio p. 78.
Paſſio quid ſit p. 43.
Perceptio quid ſit, & quotuplex p. 30.
Peripatetici per quas facultates verum quærant p. 17.
Phantaſia quid ſit p. 16.
Quid apud Stoicos p. 19. 20.
Quid apud Scholaſticos p. 22.
Picus Mirandulanus de Scholaſticis Logicis p. 65.
Platonici quomodo verum cognoſci dicant p. 17.
Porphyrii Iſagoge p. 40.
Poſſibilis, & Impoſſibilis enunciatio p. 77.
Prædicabilia quæ ſint p. 39.
Prædicamenta quæ ſint p. 40.
Prædicari quid ſit p. 39.
Prædicatum p. 46.
Quænam ſit ejus ſuppoſitio p. 68.
Præſumtio idem ac propoſitio p. 95.
Prius, & *ſimul* quot modis dicantur p. 44.
Probabile quid ſit, & quodnam ejus criterium p. 25. 26.
Probabilia ſunt coacervanda p. 124.
Quem locum teneant in diſputationibus ibid.
Propoſitio dici non debet quælibet enunciatio p. 70.
Eſt prima ſyllogiſmi pars p. 95.
Propoſitum idem, ac propoſitio p. 95.
Proprium quid ſit p. 39.
Pulvis ſympathicus p. 27.

Qua-

Digitized by Google

Q

Qualitas quid ſit p. 42.
Recte definitur ab Ariſtotele p. 56.
Qualitas enunciationis quæ ſit p. 79.
Quomodo coaleſcat cum quantitate p. 80.
Quando quid ſit p. 43.
Quantitas quid ſit p. 42.
Quantitas enunciationis p. 78.
Quinctiliani locus de Epichirematis natura emendatur p. 91.

R

Ramus quid cenſeat de medio argumentationis p. 95.
Ratio quomodo verum cognoſcat apud Platonicos, & Peripateticos p. 17.
Ratiocinatio quid ſit p. 85.
Ejus laus ibid.
Ejus formæ p. 87.
Reductio ſyllogiſmi quid, & quotuplex ſit p. 108. & ſeq.
Reductionis uſus p. 112.
Relata quænam p. 43.
Quomodo definiantur p. 56.
Relatio quid ſit p. 42.
Revelatio eſt Criterium veri ſupra naturam p. 27. 28.
Rhetorica quomodo differat a Dialectica p. 9. 10.
Rhetor in quo differat ab Oratore p. 9.
Rudimenta quid ſignificent p. 13.

Sce-

Digitized by Google

S

Sceptici unde dicti p. 21. 22.
Quid ſtatuant de vero ibid.
Quonam utantur Criterio p. 25.
Scholaſtici quid ſentiant de veritate p. 21.
Nomina pro rebus ſæpe ſumunt p. 123.
Secunda intentio quid ſit p. 50.
Senſus eſt animæ, non corporis p. 17.
Senecæ judicium de ſubtilitatibus Logicis p. 66. 108.
Senſus num cognoſcant, num judicent, num errent p. 17. 18.
Quid illis tribuant Platonici, & Peripatetici ibid.
Quid Epicurei p. 18.
Quid Democritus p. 20.
Sermo diſputantis debet eſſe nitidus p. 125.
Signum veritatis quomodo appelletur a Logicis p. 14.
Quodnam ſit p. 23.
Simplex nomen p. 46.
Simplex Syllogiſmus p. 94.
Simplex Methodus p. 119. 126.
Singulare nomen p. 47.
Singularis enunciatio p. 78.
Situs quid ſit p. 43.
Somni definitio p. 57.
Sorites quid, & quotuplex ſit p. 91. 92.
Ejus leges ibid. & 107.
Species quid ſit p. 39.
Species intentionales quomodo latine dicantur p. 22.
Spiritalia quomodo ſint in mente cogitante p. 31. 32.

Stoi-

Digitized by Google

Stoici quid judicent de vero p. 19.
Subalternæ enunciationes quænam ſint, & quomodo latine dicantur p. 81.
Quomodo concilientur p. 83.
Subcontrariæ enunciationes quænam ſint, & quomodo Latine dicantur p. 81. 82.
Subjectum quid ſit p. 46.
Quænam ſit ejus ſuppoſitio p. 68.
Subſtantia quid ſit, & quomodo dividatur p. 41.
Summulæ quid ſint, & quantæ utilitatis p. 13.
Suppoſitio, vox Dialectica p. 66.
Quid ſit, & quotuplex ibid. & ſeqq.
Syllogiſmus quid ſit p. 87.
Quotuplex p. 94.
Ejus figura p. 96. & ſeqq.
Modus p. 101. & ſeqq.
Interdum videtur negans, cum non ſit p. 103.
Hypotheticus p. 113. & ſeq.
Conjunctus p. 116.
Disjunctus ibid.
Imperfectus p. 108.
Syncategorematicum nomen p. 47.
Synonymum p. 47.

T

Terram moveri, eſt apud Senecam p. 27.
Teſtudinis definitio vitioſa p. 59.
Topica quid ſit p. 8.
Totum quomodo dividatur p. 61.
Totum Logicum, & Phyſicum, eorumque diſcrimina p. 61.

Va-

V

Vagum nomen p. 47.
Ubi quid ſit p. 43.
Veriſimile quid ſit p. 27.
Veritas quotuplex p. 13.
Quomodo detegatur ac judicetur p. 14. 17. & ſeq.
Veritas enunciationis p. 80.
Veritatis regula prima p. 122.
Verum metaphyſicum quid ſit p. 14.
Verum ſupra naturam, & ejus criterium p. 27. 28.
Virtutes & vitia corpora ſunt apud Stoicos p. 32.
Virtutis definitio p. 57.
Vividus ſenſus p. 23.
Viſum quid ſit p. 19.
Dicitur etiam Viſio p. 20.
Univerſale num ſit, & quid ſit p. 37.
Quomodo fiat ibid.
Quotuplex ſit p. 38.
Univerſale nomen p. 47.
Univerſalis enunciatio p. 78.
Univerſalia Logica, & Phyſica p. 120.
Univoca quæ dicantur p. 49.
Voluntas quid ſit p. 16.
Vox quid ſit, & quotuplex p. 45.
Ejus proprietates p. 65.
Utens Logica quid ſit p. 9.
Uxor num ducenda p. 93.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google